

tingeret in Jordane. Homil. 3, de *Nativ. B. Joan. Bapt.*

S. PETRUS
CHRYSOL.

75. Joannes nascitur major homine, par angelis, tuba cœli, præco Christi, arcanum Patris, Filii nuntius, signifer superni Regis, peccatorum venia, Judæorum correctio, vocatio gentium, legis et gratiæ fibula. Serm. 91.

S. PETRUS
DAMIANUS.

76. Joannes Baptista est sanctorum splendor, justorum gloria, lætitiæ angelorum, excellentissimus homo, consanguineus Christi, amicus Sponsæ, Sponsæ preparator. Serm. 23, de *S. Joan. Bapt.*

77. Pavet cœlum, stupet terra, Jordanis aridet, mirantur Archangeli, Dominum Sabaoth inter manus baptizantis includi. *Ibid.*

78. Joannes patriarcha, imo patriarcharum finis et caput: Joannes propheta, imo plusquam propheta; quia quem venientem nuntiat, digito demonstrat: Joannes angelus, sed et inter angelos electus. *Ibid.*

79. Joannes humanorum limes est meritum. *Prose.*

80. Quantumcumque enim apostolici senatus excellat auctoritas, quantumcumque vel patriarcharum fides in divina agnitione proficiat, vel oracula prophetarum, ad referenda arcana convalescant.

81. Quantumlibet cumuletur triumphantium gloria martyrum, quamvis exloreat vernans pudicitia virginum, vel in verbis vitæ se exercet lingua doctorum, citra metam Joannis omnia cohibentur.

82. Hujus incomparabilis vitæ seriem non historiographus quispiam post ejus obitum sed archangelus ille precipuus, antequam conceptus esset sicut et Deum, sic et hujusmodi operanda miranda narravit.

83. Nihil perfectionis ejus ultra progreditur, omnium Sanctorum particeps factus est choris: quia nulla sibi virtus deficit sanctitatis, imo tanto inter omnes insignis emicat, quanto auctori omnium per meritum sublimius appropinquat.

84. Perpendite quam angelica vita erat ejus, qui cum nullius signum virtutis ostenderet, Christum tamen esse illum omnis populus estimaret. Apud S. Antonin. part. 3, tit. 31, cap. 7, § 1.

S. THOMAS
AQUINAS.

85. Joannes Baptista propheta, fuit terminus legis et initium Evangelii. Part. 3, quest. 38, art. 1.

THOMAS A
KEMPIS.

86. O virum sanctitate excellentissimum! cujus vita et mors et baptismus et predicatio, Christi adventus in carne verissima extitit testificatio. *Meditat. 1, de Incarnat.*, cap. 23.

S. ANDRŒS,

1. Hoc gravissimum in Juda prodire fuit, quo ejus condemnaretur perfidia, quod gratia vicem non representaverit, sed conviviis amicitie venenum maliis miscerit. Lib. 3 *Offic.*, cap. 16.

2. O Judas proditor! unguentum passionis ejus trecentis denariis estimas, passionem ejus triginta denariis vendis? Libro 3 *de Spiritu sancto*, cap. 18.

3. Severissimus Judex sui fuit Judas, qui in ulciscendo confitetur, quem negaverat in tradendo. Serm. 51 *de Juda*.

4. Mira res, confitetur latro in cruce patibulo, quem discipulus abnegavit. *Prose.*

5. Mira inquam res, latro honorificat patientem, quem Judas prodidit osculante.

6. Ab hoc pacis blandimenta venditor, ab illo crucis vulnera predicantur. Serm. 44, de *S. Latrone*.

7. Mira res, plus in cruce latro Christum diligit, quam Judas dilexit in cena. *Ibid.*

8. Juda, osculo filium tradis? hoc est, venenum infundis osculo, quo gratia charitatis infunditur? osculo, quod sacre pacis insigne est: osculo, quo amicitia fida firmatur: osculo, quo fides sancta signatur? *Prose.*

9. Hoc ergo osculo commercium venerari debes. Sup. *Psalm. xxxix*.

10. Non turbatur navis, quæ Petrum habet, turbatur illa quæ Judam habet, etsi multa illic discipulorum merita navigabant, tamen eam adhuc perfidia proditoris agitabat: in utraque Petrus, sed qui suis meritis firmus est, turbatur alienis. Lib. 5, sup. *Luc.*, cap. 5.

11. Judas cum fuerit sacrilegus atque fur, quidquid egit inter Apostolos pro dignitate commissa sibi, ratum fuit. In *Decret. Gratian.*, part. 4, dist. 19, can. *Secundum*.

12. Judas proditor tam avarus fuit, quod quando denarios viderit, Christum pro eis tradidit. *De passione Domini*.

13. Judas omnium Redemptorem vendidit: quomodo laqueo suspensus, eandem gratiam redemptionis non obtinuit, quia nemo potest retinere quod vendidit. *Prose.*

14. Fuit Christus Jesus maxime spiritualis, ideo emendo vel vendendo eum, simonia fuit; Judas autem vendidit illum quantum ad humanitatem: sed simoniaci videntur vendere Spiritum sanctum, quantum ad suam divinitatem. Parte 2, tit. 1, cap. 4, § 3.

S. ANTONIN.

15. Judas ex indigna communiõne consecutus est hunc fructum, ut iniquitatem proditoris conceptam executioni subito mandaret: indeque ex magnitudine mali desperatus, laqueo vitam finiret. Part. 2, tit. 1, cap. 21, § 5.

S. ANTONIUS
DE PADUA.

16. Quid vultis mihi dare? etc. Proh dolor! ponitur in pretio res inappretabilis, o Juda Domini Dei filium, tanquam vile mancipium tanquam canem mortuum vis vendere, cum non tuam, sed ementium requiris voluntatem. *Prose.*

17. Quid vultis mihi dare? Et quid possunt tibi dare? si Hierosalem, Galileam, Samariam dederint, numquid Jesum emere possunt?

18. Si cœlum et Angelos, terram et homines, mare et omnia que in eis sunt tibi dare poterint, numquid Dei Filium, in quo sunt omnes thesauri, emere valuissent? Serm. in die *Parasæve*.

19. O quod hodie Juda, qui mercede alicujus commodi temporalis vendunt veritatem! osculo adulationis proximum tradunt, et sic ultimo laqueo se suspendunt eterne damnationis.

S. AUGUST.

20. Traditorem suum, qui jam pretium ejus acceperat, usque ad ultimum pacis osculum inter innocentes secum esse Christus perpessus est. Epis. 163.

21. Judas penitens ivit ad Phariseos, reliquit Apostolos, nihil invenit auxilii, sed augmentum desperationis; quia ab imitate divinis erat. *De vera et falsa penit.*, cap. 12.

22. Christus proditorem suum tanta patientia pertulit, ut ei primam Eucharistiam confectam manibus suis, et ore suo commendatam, sicut cæteris Apostolis traderet. Sup. *Psalm. x*, vers. 3. *Justus autem quid fecit.*

23. Judas inter duodecim electus est, ne ipse duodecimis tam exiguus numerus esset sine malo: hoc ad exemplum nostræ patientiæ, quoniam necesse erat ut inter malos viveremus. *Prose.*

24. Et quia necesse erat ut malos, sive scientes, sive nescientes toleraremus; exemplum patientiæ præbuit Christus, ne deficiat, cum cœperis inter malos vivere. Super *Psalm. xiv*, vers. 8, *Quoniam gratis absconderunt, etc.*

25. Videte quanta nobis præstitit Deus de ipso immansissimo scelere Judæ traditoris. Judas quippe tradidit ad passionem Filium Dei, et per passionem Filii Dei omnes gentes redemptas sunt ad salutem; nec tamen pro salute gentium merces reddita est Judæ, sed pro ejus malitia debitum supplicium ei retributum est. Sup. *Psalm. xxi*, vers. ultimo.

26. Si reprehensione tangitur negligentia con-

vivantis, qua pona percutitur proditor invitantis? *Prose.*

27. Quid erat panis traditori datus, nisi demonstratio cuius gratiæ fuisset ingratus?

28. Intravit satanas post panem in Domini traditorem, ut sibi jam traditum plenius possideret, in quem prius intraverat ut deciperet.

29. Tradidit Judas Christum, tradidit Christus seipsum. Ille agebat negotium suum venditionis, iste nostre redemptionis. Quod facis, fac citius: non quia tu potes, sed quia hoc vult, qui omnia potest.

30. Quod facis, fac citius, O verbum libentius parati ad passionem, quam irati ad vindictam! o verbum non tam pœnam exprimens venditoris, quam mercedem significans Redemptoris! non tam in perniciem perdidit seviendo, quam ad salutem fideliõum persiciendo. Tract. 62, super *Evang. Joan.*, de cap. xiii.

31. Quomodo Petrus bonus, corpus honorum: sic Judas malus, corpus malorum significat. *Ibid.* tract. 60, de cap. 12.

32. Judas traditor magistri, explorator Pastoris, insidiator Salvatoris, venditor Redemptoris. *Ibid.* tract. 55, de cap. 13.

33. Judas cogitavit pecuniæ lucri, et invenit anime detrimentum. *Ibid.* tract. 62, de cap. 13.

34. Quid Juda pejus? inter omnes adhaerentes magistro inter duodecim, loculi illi commissi sunt, et dispensatio pauperum distributa fuit. *Prose.*

35. Ingratus tanto beneficio, honori tanto, accepit pecuniam, perdidit justitiam. Tradidit vitam mortuus, quem ut discipulus secutus, ut inimicus persecutus est.

36. Totum hoc malum Judæ, sed malo ejus bene usus est Dominus; et malum Judæ, in bonum conversum est. *Ibid.* tract. 27, de cap. 6.

37. Nemo desperet, Judam traditorem, non tam scelus quod commisit, quam indulgentiæ desperatio fecit penitus interire. Homil. 27, ex *Quinquaginta homil.*

38. Ipse occidit Christum, qui eum tradidit occidendum. Serm. 2, ser. 2, post *Dom. Palmæ*.

39. Gemat Judas venditor, erubescat Judas emptor: Ecce Judas vendidit, Judæus emit. Malum negotium egerunt, ambo damnati sunt, seipos perdidit venditor et emptor. Serm. 5, *Dedicat. Eccles.*

40. Infelix Judas, damnus quod ex effusione unguenti se fecisse credebat, vult magistri pretio compensare: nec certam jam postulat summam, ut saltem lucrosa videretur proditio: sed quasi vile tradens mancipium, in potestate ementium,

V. BEDA.

S. BERNARD.

quantum vellent dare. Libro 4, super *Marcum*, cap. 14, in illud : *Abiit ad summus sacerdotes*, etc.

41. Dignum sibi ponam traditor amicus invenit, ut videlicet guttur, quo vox proditoris exierat, laquei nodus necaret. *Prose.*

42. Dignum etiam locum interitus quesivit, ut qui hominum Angelorumque Dominum morti tradiderat, celo terræque perosus, quasi aeris tantummodo spiritibus sociandus, aeris medio periret. Super *Acta Apost.*, cap. 1, in illud : *Et suspensus crepuit medius*.

43. Si quis te adulator, si quasi consulentis animo venenum propinat fraternel detractiois, et odium seminare conatur : si denique iniquum aliquid tanquam justum persuadere tentat, Judas est, osculo te prodit. *Serm. 2, de S. Andrea*.

44. Judas suspendit seipsum, diabolo sine dubio immittente, ego tamen majus aestimo, magisque admiror quod potuit immississe in cor ejus, ut traderet Dominum, quam ut semetipsum suspenderet. *Serm. 66, super Cant.*

45. De malo proditoris Judæ fecit Deus bonum redemptionis nostre. *Serm. 2, in Cena Domini*.

S. BONAV.

46. Judas de Apostolatus fastigio in proditiōnis tartara labitur, nec familiaritate convivii, nec infinctione buccelle, nec oculi gratia frangitur, quasi hominem tradat, quem Filium Dei noverat. Super *Luc.*, cap. xxii, in illud : *Juda, osculo Filium hominis tradis?*

CASSIOD.

47. O nefandissimum proditorem, et juste a beatorum societate discretum ! per osculum causam fecit venire interitus, per quod humani generis declaratur affectus. Super *Psaln.* xviii, vers. 2.

48. O res amara et omni felle deterior ! convivam ad proditorem, discipulum ad necem, conservatorem pecunie premio subito fuisse corruptum ! Super *Psaln.* lxxii, vers. 3.

49. Fuit laqueus diaboli armatus triginta argenteis, cum Judam cepit, atque in interitum suffocavit. Super *Psaln.* cxviii, vers. *Posuerunt peccatores laqueum mihi*.

4. CYPRIAN.

50. Non potest esse cum Christo, qui imitator Judæ mavult esse quam Christi. *De Orat. Domini*, cap. 9.

51. Judam inter Apostolos Dominus elegit, et tamen Judas Dominum postmodum prodidit : non tamen ideo Apostolorum fides cecidit, quia proditor Judas ab eorum societate defecit. *De unit. Eccles.*

S. CYRILLUS

HIEROSOL.

52. Judas in avaritie temptationem ingressus, non eam superavit, verum submersus, et corpus et animam perdidit. *Cateches. mystagog.* 5.

DIDYM.

ALEX.

53. Judas cum factus est proditor Filii Dei, et

magistri sui, amans argentum perditionis, tunc factus est filius perditionis. Libro *contra Manich.*

54. Judas tradidit Christum ex avaritia, quem Judæi tradiderunt ex invidia. Super *hymn. Passionis ad vesp.*

55. Judas sub blando oris osculo, et lingua pacem simulante, dolum occultans, adversus Dominum molitus est proditorem. *De morbo lingue*.

56. Miserrimus Judas, qui cum male crimen traditionis admisit, pejus illius criminis penitentiæ gessit, quia penitus indulgentiam non quesivit : ideo penitentem non adjuvit, sed peremit ; quia sibi conversionis tempus occasione abstulit, et indulgentiam desperatione substraxit. *Lib. 2, de remiss. peccator.*, cap. 16.

57. Judas digne quidem penitentiam egit, quia peccavit tradens sanguinem justum ; sed ideo sibi fructum penitentis denegavit, quia peccatum traditionis suæ, ipso quem tradidit diluendo sanguine non speravit. *Epist. 7, ad Venantiam*, cap. 5.

58. Judas per molle osculi blandimentum, execrabile jaculum proditiōnis infixit. Super *Zachar.*, cap. 2.

59. Habet Christus consciū munditiæ testem, cum suum non dubitet eligere proditorem. Super *Math.*, cap. 10.

60. Multi hodie sunt, qui factum Judæ execrantur et idem faciunt. Nam cum pro munere falsum testimonium dicunt, quia veritatem negant, Deum qui veritas est, vendunt : dum charitatem violant, Deum qui charitas est, produnt. *Ibid.*, cap. 26, in illud : *Ut eam traderet*.

61. Judas habebat adhuc aliquid de verecundia discipuli, cum non Christum palam tradidit, sed per signum osculi. *Ibid.*, cap. 26, in illud : *Quemcumque osculatus fuerit*.

62. Impudens confidentia ! magistrum vocare, et osculum eiingere, quem tradit. *Ibid.*, cap. 26, in illud : *Ave Rabbi*.

63. Judas, osculo Filium hominis tradit ! Instrumento pacis mortem irrogas, servus Dominum, discipulus magistrum prodit ? Super *Luc.*, cap. xxii.

64. Reprobis Judas cum mortem sibi contra peccatum intulit, ad æternæ mortis supplicia pervenit, et pejus de peccato penituit quam peccavit. *Lib. 2 Moral.*, cap. 5.

65. Judas sæviliam persecutionis futura Antechristi ignoravit, et tamen Antechristi membrum fuit. *Ibid.*, lib. 29, cap. 6.

66. Judas Apostolus admixtus diu Redemptorem humani generis predicavit, signa cum ce-

DIONYSIUS

CARTHUS.

S. EPHEM.

S. FULGENT

GLOSS. ORD.

GLOSS. LV.

S. GEORGE

MAGNUS.

teris fecit. *Lib. 7, in Registro*, indict. 4, cap. 34, *epist. 34, ad Leontium exconsul.*

67. Electus etiam Judas ad ministerium fuit : sed quia bonus non fuit, jus amisit successioni. *Lib. 4, in 1 Reg.*, cap. 4.

S. HIERON.

68. Judas de Apostolatus fastigio in proditiōnis tartarum labitur, et nec familiaritate convivii, nec infinctione buccelle, nec oculi gratia frangitur, ne quasi hominem tradat, quem Filium Dei noverat. *Epist. 4, ad Rusticum*.

69. Proditor amici et magistri, Salvatoris arguitur voce : et nodum informis lethi trabe necit ab alia. *Epist. 13, ad Paulinum*.

70. Quanto majoris meriti fuit Judas, tanto majoris criminis est : et quanto majoris criminis, tanto majoris et pœnæ. *Lib. 2, advers. Jovian.*

71. Judas nihil profuit paratus locus, quem suo vitio perdidit. *Ibid.*

72. Apostolorum fidem, Judæ proditiō non destruxit. *Epist. 6, advers. Vigilant.*

73. Judas per avaritiæ viam, venit ad homicidium. *Lib. 16, super Isaiam*, cap. lxx, super illud : *Opera eorum opera inutilia*.

74. Infelix Judas damnū quod ex effusione unguenti se fecisse erodebat, vult magistri pretio compensare : nec certam tamen postulat summam, ut saltem videretur lucrosa proditiō, sed quasi vile tradens mancipium, in potestate ementium posuit quantum vellent dare. *Lib. 4 super Math.*, cap. 26, can. 2, num. 278, super illud : *Quid vultis mihi dare?*

75. Impudens quidem et scelerata confidentia Judæ, magistrum vocare, et osculum ei ingerere, quem tradebat. *Ibid.*, cap. 26, can. 2, num. 301, super illud : *Ibid.*, cap. 26, can. 2, num. 301, super illud : *Dixit : Ave Rabbi!*

76. Nihil profuit Judæ sera penitentia, per quam scelus corrigere non potuit. *Lib. 4 super Math.*, cap. 27, can. 10, num. 319, super illud : *Et projectis argenteis*, etc.

77. Judas dat signum osculi cum veneno doli. Super *Marc.*, cap. xv, super illud : *Vigilate et orate*, etc.

S. HILARIUS.

78. Judas in Passione Domini, ministerium diaboli fuit, et per eum effectum voluntatis propriæ est executus. Super *Psaln.* cxviii.

79. Judas fur pecunie, venditor sanguinis justis, proditor Dei, et quantum in se est parricida, nec vite veniam potuit habere, nec mortis. Super *Psaln.* cxxxix.

80. Judas proditor sero criminis sui scelere comperto laqueo se vita et fide protugus suspendit. *Prose.*

81. Nihil directum in eo, nihil simplex, nihil

Tom. II.

absolutum fuit : fur ante, dehinc proditor, postremo ipse indignus ultor.

82. Nunc mulierem effuso in caput Domini unguento, damni inutilis arguens : nunc Judeis, omnes Domini aditus et egressus nuntians, nunc de pretio justis sanguinis paciscens. *Ibid.*

83. Magna fuit ipsa Judæ proditiō, sed magnificata fuit, quia a tali facta est, qui sic videbatur amicus et familiaris Christi. Super *Psaln.* xl.

84. Judas fuit vas aureum, factus est postea vas testium. Super *II Tim.* 2.

85. Diabolus penitentiam immissi Judæ proditori, et laqueum illi commonstravit, et stipendium quo strangularetur edocuit. *Epist. 8, ad Philipp.*

86. Judas volens resumere pecunias, quas antea Christum secutus abjecerat, non solum ad proditiōnem Domini lapsus, et Apostolatus perdidit gradum : sed etiam vitam ipsam communi exitu finire non meruit, eamque violenta morte conclusit. *Lib. 7, de Genob. Inst.*, cap. 14.

87. Respicie Judam Apostolorum numero deputatum, quia noluit serpentis hujus caput lethale conterere, qualiter eum suo veneno peremerit, ut Redemptorem mundi et humane salutis auctorem triginta argenteis persuaserit vendere. *Prose.*

88. Qui nequam esset ad tam scelestum proditiōnis facinus devolutus, si non Philargyriæ morbo fuisset infectus.

89. Nec Dominicæ necationis reus sacrilegus exiisset, nisi prius solitus fuisset creditos sibi loculos compilare. *Ibid.*, cap. 23.

90. Quis Judæ beatorum ; sed factus est proditor. *S. JOANNES CHERYSOST.*

91. Non Judæ profuit, quod magistrum ut discipulus sequebatur, sed ut proditor periret. *Ibid.*

92. Judas nimia pecuniarum cupiditatis precipitatus ardore, caeca quadam improvisione deceptus, suam vendidit animam. *Homil. de Prodit. Judæ.*

93. Judas in malitia sponte duravit, et omnibus admonitionibus spreis, proditor malignus emerisit. *Ibid.*

94. Judas Apostolus erat, sed pigritans factus est proditor. *Homil. 40, de Penit.*

95. O Christi misericordia ! o Judæ dementia ! ille triginta denariis paciscebatur ut eum traderet, et Christus ei sanguinem, quem vendidit, offerebat. *Homil. de Prodit. Judæ.*

96. Judas in choro discipulorum Christi fuit, mira tamen in uno temporis momento ejus facta est commutatio. *Grad.* 10.

97. Judas nunquam fuit Episcopus ; sed per

HUGO CARD.

S. IOHANNES

MART.

JOAN. CASS.

S. JOANNES

CHERYSOST.

S. JOAN. CL.

JOAN. GERS.

Episcopatum Apostolatus intelligitur. Quæst. 3. distinctionis 24, super illud, *Psalm. cxiu: Et Episcopatum illius accipiat alter*, part. 1.

JOAN. SAR. 98. Peccavi, inquit Judas, tradens sanguinem justum. Fuit itaque vera usquequaque confessio: sed inutilis, quia postius occurrit ad laqueum, quem meruerat, quam ad fontem misericordiarum, quem demeruerat, oblationis suæ duritia præcluserat sibi. Lib. 2, de *Nugis Curial.*, cap. 27.

R. LEO I. 99. Impius Judas maluit minister esse diaboli, quam Apostolus Christi: quem non timoris perturbatione deseruit, sed pecunia cupiditate distrahit. *Serm. 9, de Passione.*

100. Scelerator omnibus, Juda, et infidior exististi quem non penitentia vocavit ad Dominum, sed desperatio traxit ad laqueum. *Serm. 3, de Passione Dom.*

101. Perfidus Judas inebriatus veneno; dum sitiit lucrum, pervenit ad laqueum. *Ibid.*, *serm. 9.*

S. MAXIMUS EP. TAURIN. 102. Judas posteaquam fidem perdidit, innocentiam Apostolatus amisit: omnium enim criminum reus factus est, postquam virtutum omnium Dominum negavit. *Homil. 2, de Laetone.*

ORIGENES. 103. Judas indignus remedio fuit, quia non pura mente penitit. Habet. In *Decret. Gratiani*, part. 2, de *Penit.*, dist. 3, can. *Inter. § Indignus.*

S. PETERUS DAM. 104. Proditor Salvatoris, qui ut exiguae summe perciperet quantitatem, sub vealitate distraxit rerum omnium conditorem; et pro vilis amore pecunie, auctorem tradidit vite. *Opusc. 31*, cap. 4.

S. PROSPER. 105. Diabolus persecutus est animam Christi, et Judas animam magistri: diabolus ad persequendum corpus Christi manet, nec Judas deest in falsis fratribus succedendo. Super *Psalm. cxlii*, vers. 3.

THEOPHYLACTUS. 106. Tarde sapere incipit Judas, et poenitet quidem, non autem recte: nam suum poeniter bonum erat, suffocari autem diabolico. Super *Matth.*, cap. 27, in illud: *Peccavi, tradens, etc.*

Vide etiam tit. *Desperatio*, sent. 13, 60; *Eucharistia*, sent. 45; *Furtum*, sent. 4; *Invidia*, sent. 79; *Oculum*, sent. 22, 24; *Oculum*, sent. 2, 3, 4, 9; *Passio Christi*, sent. 54; *Pecuniarum cupiditas*, sentent. 82, 83; *Proditio*, sentent. 26; *Simonia*, sentent. 16.

JUDICIUM IN GENERE.

S. ANTONIN. *Etymologia.* Judex dicitur, quasi jus dicens: seu jus dictans, part. 3, tit. 9, de *Statu judicum*,

cap. 1, § 4, et part. 4, tit. 5, de *Justitia*, cap. 3, § 3.

Judicium dicitur est quasi jus dicitum, quod in eo jus dicatur. Super 36, vers. 32.

Judex dicitur, quasi jus dicens populo, sive quod jure disciplet: jure autem disciplet, est juste judicare; non est autem judex, si non est in eo justitia. Lib. 18 *Elym.*, cap. 15.

Definitio. Actus iudicii, et auctoritas iudicandi est: quædam potestas delegata, seu collata hominibus a Deo, qui in hoc tenent locum et vires Dei. Part. 3, de *Statu judicum*, cap. 1.

Judicium est actus rationis, seu prudentia tanquam dirigentis, atque sententiam proferentis. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 2, art. 5.

Judicium est, per quod ex audientia meritorum, dignum redditur vel supplicium, vel meritum. *De fract. carnis et spiritus*, cap. 13.

Judicium est sententia diligenter examinata, procedens ex probationibus manifestis, vel presumptionibus violentis, jus suum unicuique assignare. Super *Ecclesiasten*, cap. 5.

Dijudicare est actus intellectus applicantis principia certa ad examinationem propositorum. Part. 1, *Summe*, quæst. 79, art. 9.

Judicium est sententia rata de re in disceptatione ambigua. *de Definit.*

Conditiones iudicii. 1. Debet judex justus esse, pro meritis unicuique retribuendo.

2. Debet esse fortis et constans, nec flecti timore, vel amore conjunctumque.

3. Debet esse patiens in sufferendo, sicut et Deus judex patiens est.

4. Debet esse tranquillus in discutiendo, et diffinendo causas, sicut et Deus cum tranquillitate judicat.

5. Debet esse rigidus in minas inferendo, sicut Deus judex minatur peccatoribus per flagella.

6. Debet esse æquus in decernendo, id est, servare æquitatem, quæ est severitas justitiæ, et misericordiarum temperata.

7. Debet esse maturus in discutiendo.

8. Debet ferre sententiam condemnationis, sicut Deus judex in suo iudicio peccatores condemnat. Part. 3, tit. 9, de *Statu judicum*, cap. 1.

Tria faciunt bonum iudicem, scilicet potentia, scientia, justitia. Super *Psalm. l.*

Ad recte iudicandum, hæc sunt iudicibus necessaria: ut quod præcipiunt, ipsi faciant; ut ordinem juris non prætermittant; ut veritatem cause plene investigent; ut personam non accipiant; ut non cedant favori, vel clamori multorum; ut propter timorem non declinent a rectitudine iudicii; ut non plus debito compatiantur;

ut munera non accipiant; ut nullas preces præjudiciales admittant. Super *Psalm. lvi.*

SENTENTIA PATRUM.

S. AMEROS. 1. Cognoscamus in iudicando homines, quod non ex voluntate nostra et potestate, sed ex æquitate debeamus formare sententiam; justitia enim est in iudicando, non potentia. Lib. 5, epist. 26, ad *Herontianum*.

2. Miligat iudicem pudor rerum, excitat autem pertinacia denegantium. Lib. 2 de *Cain et Abel*, cap. 9.

3. Iudicando caveatur, ne major pena quam culpa sit. Lib. 2 de *Apologia David*, cap. 2.

4. Bonus iudex nihil ex arbitrio suo facit, et domesticum propositum voluntatis, sed juxta leges et jura pronuntiat, scitis juris obtemperat, non indulget propriae voluntati. *Prosec.*

5. Nil paratum et meditatam domo defert, sed sicut audit, ita iudicat, et sicut se habet negotii natura, decernit.

6. Obsequitur legibus, non adversatur, examinal cause merita, non mutat.

7. Discite iudices sæculi, quem in iudicando tenere debeatis affectum, quam sobrietatem, quam sinceritatem. Super *Psalm. cxviii*, *serm. 20*, vers. 4.

8. Qui iudicat, non voluntati suæ obtemperare debet, sed tenere quod legum est. *Ibid.*

9. In iudicando magis cordi sit veritatis custodia, quam obedientia voluntatis. *Ibid.*

10. Iudicis non est sine accusatore damnare, quia et Dominus Judam cum fur esset, quia non erat accusatus, minime abiecit. Super *Epist. 1, Cor.*, cap. 5.

11. Unusquisque de alio iudicaturus, de seipso prius iudicet, nec minora in alio errata condemnet, cum ipse graviora commiserit. Lib. 2, de *Apolog. David*, cap. 2.

S. SATHANAS MAGNUS. 12. Qui iudicis partibus fungitur, hic reo dominatur necesse est. Habetur apud D. Joan. Damasc. lib. 4 *Parall.*, cap. 97.

S. ANTONIN. 13. In nulla re tantum hodie offendunt sæculi potestates, sicut in iudiciis. Part. 3, tit. 3, cap. 4, § 9.

HUGO CARD. 14. Omnis qui juste iudicat, stateram in manu gestat, et in utroque penso justitiam et misericordiam portat. *Prosec.*

15. Sed per justitiam reddit peccatis sententiam, per misericordiam peccati temperat penam. Part. 3, tit. 9, cap. 1.

S. AUGUST. 16. Imple christiane iudex pii patris officium: sic succense iniquitatis, ut consilere humanitati memineris: nec in peccatorum atrocitatibus exer-

ceas ulciscendi libidinem, sed peccatorum vulneribus curandi adhibere voluntatem. *Prosec.*

17. Plerumque necesse est, execratur acris inquisitio, ut manifestato scelere, sit ubi appareat mansuetudo.

18. Non te exasperet vindicandi potestas, cui lenitatem non excussit examinandi necitas: noli facinore invento querere percussorem, in quo inveniendos noluisse adhibere tortorem. *Epist. 159, ad Marcellin.*

19. Iudicans alium, qui est iudicandus, condemnat seipsum. *De vera et falsa penit.*, cap. 18.

20. Ignorantia iudicis plerumque est calamitas innocentis. Lib. 19, de *Civili Dei*, cap. 6.

21. Dum alterius iudicium non timent qui alios iudicant, ad cadendum præcipites fiunt. *Prosec.*

22. Fit ut hominis non timent in delinquendo iudicium, Deum sentiant iudicem et ultorem. *De Vita christiana*, cap. 3.

23. Multum de Dec pudicitia consequitur, cum iudicem virginem promoveretur. *Prosec.*

24. Secura est de victoria castitas, cui est iudicatura virginitas.

25. Pudicitia causas, nisi vir pudicus audire non debet. *Serm. 2, fer. 2 post. Dom. Palmæ.*

26. Ipse iniquitatis sum testis est, qui ore absolvit, et corde condemnat. *Ibid.*

27. Iudex bonus et constans, nec sanguinem innocentis addicat, nec invidia cedere debet, nec timere. *Ibid.*

28. Regia via, qui terram iudicant, incedere debent, nec declinare ad dexteram molliendo iudicium, nec ad sinistram exasperando supplicium. *Serm. 14, ad Frat. in cæno.*

29. O quam facile est iudicare, sed o quam amarum est, quod iudicatum est, retrahere! *Ibid.*

30. Decet iudices cum Dei adiutorio caleare superbiam, abominari luxuriam, abhorere falsitatem, despiciere avaritiam, quæ noverca dicitur esse summa inimica justitiæ. *Prosec.*

31. Decet iudices non avaritiam, sed largitatem sectari, et amare parvulos, pusillis et orphanis faciem serenam, non solum verbo, sed et opere demonstrare.

32. Decet iudices fidem ostendere, zelum rectitudinis observare.

33. Decet iudices clementer esse cultores, detestatores savitias, cunctis benignos, ad iram tardos, ad misericordiam festinos.

34. Decet iudices esse in adversis firmos, in prosperis humiles et cautos; et quibuscumque dignitatibus sublimatos, seipsos agnoscant et caveant ne suos inferiores despiciant.

35. Decet iudices sapientes esse, et in lege doctissimos.
36. Decet iudices plus Deum timere, quam alii homines; plus de salute animarum curare quam corporum; plus honorem Dei quam marisupia plena diligere. *Ibid.*, serm. 35.
37. Boni iudices, patres sunt pauperum: mali vero, non patres, sed prædones. *Ibid.*
38. Non iniquum est ut in quo iudicat homo, in eo iudicetur. *Epist.* 49, quest. 4.
39. Qui iudicat sine misericordia, sine misericordia iudicatur. *Ibid.*
40. Iudicare parte absente, nec audita, nefas est. *Epist.* 162.
41. Nemo iudicabit, quam qui injuste iudicatus est. *Tract.* 39, super *Joan.*
42. Homo iudicare non potest, quem videre non potest. *Tract.* 6, super *Epist.* *Joan.*
- S. BERNARD. 43. Non parvi te reum peccati existimes, si facies peccatorum sumis, et non potius causas iudicas meritorum. *Lib.* 2, de *Consid.* ad *Eugen. Pap.*
- S. BONAV. 44. Tria sunt in iudicio, testis, tortor, iudex. Super *Psal.* LXXII.
- S. CYRILLUS 45. Iusti iudicis est de singulis factis apte sententiam pronuntiare. *Cateches.* 2.
- GLOSS. 46. Neesse est quod iudex potius sequatur misericordiam, quam iudicium: vel æquitatem, quam severitatem. In *Decret.* *Gratiani.*
- GLOSS. INT. 47. Nemo est iudicandus, nisi prius auditus. Super *Deuter.*, cap. 4.
- GLOSS. ORD. 48. Sunt hodie Ecclesiarum iudices, quibus datur est etiam iudicium animarum: sed nescio si quis dignus sit spiritu Dei repleti. *Sup. lib. Judic.*, cap. 3, in illud: *Falique in eo spiritus Domini*, etc.
49. Felix iudex, qui pietatem et bonitatem sui iudicis semper inspicit. Super *Sapient.*, cap. 12.
- ORATIANS. 50. Criminosus alterius criminis iudex esse non potest; et seipsum condemnat, dum in alterius crimen sententiam profert. In *Decretis*, part. 2, causa 3, quest. 7, can. *Sacerdos. § Ex quibus.*
- S. GREGOR. 51. Durum est, ut qui nescit tenere moderamina vite suæ, iudex vite fiat alienæ. *Prosec.*
- MAGNUS. 52. Plerumque contingit, ut hic iudicium locum teneat, cui ad locum vite minime concordat. *Homil.* 26, super *Evang.*
53. Iudicare de subditis digne nequeunt, qui in subditorum causa, suis, vel odium, vel gratiam sequuntur. *Ibid.*
54. In rebus ambiguis, absolutum non debet esse iudicium. *Lib.* 2, in *Registro*, indict. II, cap. 83, *epist.* 44, ad *Andream episc.* *Tarentin.*
- S. GREGOR. 55. Sic fratrem tuum examina, tanquam tu
- quoque eadem mensura iudicandus sis. *Hab.* apud D. *Joan. Damasc.*, lib. 4, *Parall.*, cap. 97.
56. Memor sis tribunalis Domini, et de iudicio tuo te intelligens iudicandum. *Epist.* 45, ad *Pammach.*
57. Non est omnium recte iudicare, sed eorum qui prudentes sunt. *Lib.* 1, super *Isaiam*, cap. 1, super illud: *Querite iudicium.*
58. Omni tempore custodiamus iudicium, ne despiciamus personam pauperis in iudicio, ne divitis potentia terreamur: sed ita magnum iudicemus, sicut parvulum. *Lib.* 15, super illud: *Custodite iudicium.*
59. Optimus iudex est, qui his pessimis (ira-cundia et cupiditate) duobus vitis non tenetur. Super *Job*, cap. 36, super illud: *Non te ergo superet ira.*
60. Æquum iudicium est, ubi non persona, sed opera considerantur. *Hab.* apud *Bedam*, in suis *Scintillis*, cap. 58.
61. Iudicium ex ambiguis rebus existit, et ambiguitate adempta, iudicii non desiderat exam-
S. HILARIUS. inem. In *Explanat.* super *Psal.* I.
62. Iudicem oportet habere hæc duo, et quod non timeat potentes, et quod diligenter inquireat merita causæ: et ideo causa incognita precipit sententiam, et pervertit iudicium, aliquando muneribus excecatur. In *Prov.*, cap. 29.
63. Aliorum causas non prius diiudices, quam dignoscas. Super *Ecclesiastic.*, cap. 2.
64. Vos, o iudices, non attenditis merita causa-rum, sed merita personarum: non vitam, sed muna-
S. HUGO. rum, sed merita personarum: non vitam, sed muna-
ra non iustitiam, sed pecuniam: non quod ratio dicat, sed quod voluntas affectet: non quod lex sentiat, sed quod mens cupiat. *Prosec.*
65. Non inclinatis animum ad iustitiam sed iustitiam inclinatis ad animum. Non ut quod liceat, hoc libeat, sed ut liceat hoc, quod libet.
66. Pauperum causam negligitis, divitum causam cum instantia promovetis: in illis rigorem ostenditis, cum istis ex mansuetudine dispensatis.
67. Illos cum difficultate respicitis, istos favore fractalis, illos negligenter auditis, istos subtiliter auscultatis.
68. Clamat pauper, et nullus exaudit: loquitur divites, et omnes applaudunt.
69. Clamat vin patiens, et nullus exaudit: vociferatur, et non est qui iudicet.
70. Sed si forte pauperum causam suscipitis, illos remitte fovetis: cum autem divitum causam assumitis, illos pertinaciter adjuvatis.
71. Pauperes despicitis, divites honoratis: istis reverenter assurgitis, illos despiciabiliter conculcatis. *Lib.* 2, de *Contemptu mundi*, cap. b

- S. JOANNES 72. Vis iudex esse? cognosce teipsum, et tua
CHRISTO. delicta. *Homil.* 42, super *Gen.*
73. Non potest par exerceri iudicium, ubi dis-
S. HEDON. par esse consilii meritum. *Serm.* de *Ella.*
74. Perfectior est ille, qui non iudicat, quam ille qui iudicat et non condemnat: et ille qui condemnat et dimittit. *Homil.* 17, super *Math.* *Oper. imperf.*
75. Iudicii terreni splendor est in schemate, celestis autem iudicii majestas in virtute. *Ibid.*, *homil.* 54.
76. Sanctorum iudicia, nec ad gratiam, nec ad inimicitiam fiunt, sed ab omni sunt dubitatione libera. *Homil.* 4, ad *Pop. Antioch.*
- S. JOANNES 77. Iniquus iudex, contaminata est conscientia.
DAM. *Lib.* 4 *Parall.*, cap. 98.
- JOAN. SAR. 78. Oportet iudicem cuncta rimari, et ordinem rerum plena inquisitione discutere, nec ante obviare alicui, quam causa sit legitimis rationibus plenissime limitata. *Lib.* 5, de *Nugis curial.*, cap. 6.
79. Iniquus est quisquis in iudiciis sequitur non causam, sed prædam. *Ibid.*
80. Libera debent esse iudicia, et quisquis ea viribus nititur perturbare, capitalem ab antiquis constitutionibus meretur penam. *Ibid.*, *epist.* 59.
- S. JERON. 81. Si iudicialis non justus et bonus sit, ad dandum quidem his, quibus debet: et exprobrandum his, quibus oportet neque justus neque sapiens videbitur iudex. *Lib.* 3, *advers. Hæres.*, cap. 42.
- S. ISIDORUS 82. Bonus iudex sicut nocere cuilibet nescit,
BISPALENS. ita prodesse omnibus novit. *Prosec.*
83. Aliis enim præstat censuram iustitiae, aliis bonitatem: quia iudicia sine personarum acceptatione suscipit, non infirmat iustitiam avaritia flamma, nec studet auferre alteri quod cupiat sibi. *Lib.* 3, de *Som. bono*, cap. 52, sent. 2.
84. Boni iudices iustitiam ad solam obtinendam salutem æternam suscipiunt, nec eam muneribus acceptis destrunt, ut dum de justo iudicio temporalia lucra non appetunt, premio eterno ditentur. *Ibid.*, sent. 3.
85. Omnis qui recte iudicat, stateram in manu gestat, et in utroque penso iustitiam et misericordiam portat. Sed per iustitiam reddit peccati sententiam, per misericordiam peccantis temperat penam: sicut iusto libramine quædam per æquitatem corrigat, quædam vero per misericordiam indulget. *Ibid.*, sent. 4.
86. Iudex qui Dei iudicia oculis suis præponit, semper timens tremensque in omni negotio reformidat, ne de iustitiæ tramite devians, cadat: et unde non iustificatur, inde potius condemnetur. *Ibid.*, sent. 5.
87. Neminem stultorum, vel improborum oportet iudicem esse: nam stultus per ignaviam ignorat iustitiam, improbus per cupiditatem corrumpit ipsam quam didicit veritatem. *Ibid.*, sent. 6.
88. Gravius lacerantur pauperes a pravis iudicibus, quam a cruentissimis hostibus: nullus enim prædæ tam cupidus in alienis, quam iudex iniquus in suis. *Prosec.*
89. Latrones inaccessis facibus, ac latebrosis locis latentes insidias ponunt: isti palmarapacitatis avaritiasæviunt.
90. Hostes in aliorum tantum sanguinem intendunt, iudices vero quasi crudelissimum carnificem, civium oppressione sua subjectorum vitam extinguunt. *Ibid.*, sent. 7.
91. Iudices qui destruant multi sunt: rari sunt autem, qui populus legum moderamine regant. *Ibid.*, sent. 9.
92. Plerumque boni iudices sunt, sed ministros rapaces habent: sæpe iudices pravi cupiditatis causa, aut differunt, aut pervertunt iudicia, nec finiunt coepta negotia, quoniamque marsupia eorum, qui causantur, exhauriant. *Prosec.*
93. Quando enim iudicant, non causam, sed dona considerant: et sicut negligentes sunt in discussione causarum, sic in eorum damno solliciti sunt. *Ibid.*, sent. 11.
94. Verbosi iudices, ut sapientes videantur, non discutunt causas, sed afferunt, sicque conturbant iudicii ordinem, dum non suo contenti officio, aliena presumunt. *Prosec.*
95. Quidam enim dum iudicare incipiunt, irascuntur, ipsamque iudicii sententiam in insaniam vertunt.
96. Qui iratus iudicat, in furorem iudicium mutat, cum ante profert sententiam, quam cognoscit.
97. Furor in iudice investigationem veri non valet attingere, quia mens ejus turbata furore, ab investigatione alienatur iustitiæ.
98. Iracundus iudex, iudicii examen plene considerare non valet: quia caligine furoris non videt.
99. Qui autem repulso furore discutit, facilis ad contuendam veritatem mentis serenitate consurgit, et sine ulla perturbatione ad æquitatis intelligentiam pervenit. *Ibid.*, cap. 52, sent. 13.
100. Qui recte iudicat, et premium inde remunerationis expectat, fraudem in Deum perpetrat: quia iustitiam, quam gratis impartiri debuit, acceptione pecunie vendit. *Prosec.*
101. Bonis male utuntur, qui iusto pro temporali lucro iudicant: tales quippe ad veritatem, non iustitiæ defensionem, sed amor pecunie provo-

cat. Quibus si spes nimium subtrahitur, confestim a justitiæ defensione recedunt.

102. Acceptio numerum, provaricatio veritatis est : dives in muneribus cito corrumpit judicem ; pauper dum non habet quod offerat, non solum contemnitur, sed etiam contra veritatem opprimitur. *Ibid.*, cap. 5, sent. 1.

103. Propterea in hac vita boni judicantur mali; ut in altera vita mali judicentur a bonis. *Ibid.*, cap. 47, sent. 6.

104. In judicio sine misericordia non sedeat, sed custodi discretione justitiæ. *Prose.*

105. Ita elemens esto in alienis delictis, sicut in tuis : nec quamquam districtius quam te judices, nec aliter te, nec aliter alios suspenses.

106. Sic alios judica, ut ipse judicari cupis.

107. Dum enim indulges alieno vitio, et tibi misereris : quo jure in alium staturis, eo jure teneberis : qua lege et pœnæ conditione quempiam judicaveris, eadem ipse judicandus es.

108. Lex tua te constringit, judicium quod aliis ponis, ipse portabis : in eo enim in quo judicas, condemnandus es.

109. Omnia primum quere, ut cum justitia defendas : nullumque condemnes ante judicium, nullum judices suspensionis arbitrio : ante proba, et sic judica.

110. Non qui accusatur, sed qui vincitur, reus est : quod nosti, tuo, quod nescis, divino committe judicio.

111. Quamvis vera sunt, credenda non sunt, nisi que certis indicis demonstrantur, nisi que manifesto examine convincuntur, nisi que ordine judiciario publicantur. Lib. 2, *de Synon.*, cap. 16.

LACT. FIRM.

112. Judex integer ac bonus dicitur cum indifferenter malefacta vindicat. *De ira Dei*, cap. 17.

S. LAURENT.

JUSEIN.

113. Debet prius dominari sibi, qui causæ constitutus est judex alienæ. Ridiculum est aspicere foris in Cathedra residentem, et intus in passionum fetoribus sepultum. *De triumphali Christi agone*, cap. 12.

114. Virtus animi judiciariis sedibus preferenda est honore, desiderio, et estimatione. *Ibid.*

S. MARCELL.

MART.

115. Non oportet quemlibet judicari, vel damnari, priusquam legitimus habeat presentes accusatores. In *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 3, quest. 9, can. *Non*.

S. PETRUS

DAMIANUS.

116. Quid plane sanctius? quid Deo charius? quid certe in christiana religione præstantius, quam judicare justitiam, et illicitis ausibus per legitimi rigoris occurrere disciplinam? *Opusc.* 57, dissert. 2, cap. 1.

117. Is qui ad judicandum ascendit tribunal, PHIL. IUD. & SENECA. MIN. PUBL. iudicari se non minus, quam judicare cogit, et una cum potestate assumat prudentiam, ne dæcipiatur; justitiam aut suum cuique tribuat; fortitudinem, ne flectatur precibus aut misericordia, quo minus animadvertat in convictos sceleris. *De judice.*

118. Sanctus si se tueri in judicio non potest, S. PROSPER. supplicio judicis incauta sententia condemnatur : et reum calliditas ingenii excusat. Lib. 2, *de Vita Contemplat.*, cap. 7.

119. Uti severitatis arbitrio judex non potest, SALVIANUS. quando reus jam non sustinet judicari. Lib. 1, *ad Eccles. catholic.*

120. Absens nemo judicetur (quia divinæ et humane leges hoc prohibent) nisi fuerit absens ex contumacia : pro presenti namque cum contumacia haberi facit. Lib. 4, *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 3, quest. 9, can. *Absens*.

S. ZEPHYR.

PAPA

ET MART.

SENTENTIA PAGANORUM.

121. Bene quisque judicat ea, que cognoscit, ARISTOTEL. et ipsorum bonus est judex : is ergo in unaquaque re bene judicat, qui in illa est eruditus. Lib. 4, *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 3.

122. Non secundum legem scriptam judicare, sed secundum quod sibi videtur, periculosum est. Lib. 2, *Polit.*, cap. 8.

123. Judicia multorum sepe meliora sunt, quam uniuscujusque. *Ibid.*, lib. 3, cap. 11.

124. Judex quasi argenti atque auri cognitor est, ut vere justum ab adulterato discernat. Lib. 1, *Rhetor.*, cap. 15.

125. Est boni judicis parvis ex rebus conjecturam facere uniuscujusque cupiditatis et incontinentiæ. Orat. 9, *in Verrem*, lib. 4, act. 5.

126. Sapientis est judicis, meminisse se hominem : cogitare tantum sibi esse permissum, quantum commissum et creditum. Et non solum sibi potestatem datam, verum etiam fidem habitam esse meminisse : posse quem oderit, absolute : quem non oderit, condemnare. Et semper, non qui ipse velit, sed lex et religio cogat, cogitare. Orat. 49, *pro Cluentio*.

127. In hoc sapientia consistit judicis, ut non solum quid possit, sed etiam quid debeat, ponderet : nec quantum sibi permissum meminere solum, sed et quotenus commissum sit. Orat. 39, *pro Rabirio*.

128. Cum judici jurato dicenda sententia sit, meminerit Deum se adhibere testem, id est, mentem suam, qua nihil homini dedit ipse Deus divinus. Lib. 3, *de Offic.*

129. Judicis est, semper in causis verum sequi. Lib. 2, *de Offic.*

330. Ad ponendum properat, cito qui judicat. In suis *Sent.*, sent. 32.

331. Judex damnatur, cum nocens absolvitur. *Ibid.*, sent. 203.

PLATO.

332. Hæc est judicis virtus, non ipsam loquendi rationem, sed ut vera dicat, perspicat. In apologia.

333. Non hæc de causa sedet iudex, ut favore et gratia ejus condonet et indulgeat, sed ut iudicet. *Prose.*

334. Hoc et juratus ad judicandum venit, non gratia et favore se jus condonaturum, quantum quidem ipsi videbitur, sed ex legum prescripto et formula judicaturum. *Ibid.*

335. Consentaneum est iudicem non esse juvenem, sed senem et atale provecum, qui intelligat qualis sit mali natura, scientia potius, quam propria experientia iudicans. Lib. 3, *de Republ.*

336. Nec judex causa sis, si non audiveris ambros. In *Dialogo Demodoci*.

337. Bonus judex damnat improbanda, non odit. Lib. 1, *de Ira*, cap. 16.

SENECA.

338. Magno animo de rebus magnis judicandum est : aliqui videbitur illarum vitium esse, quod nostrum est. Epist. 71.

339. Virtus de omnibus rebus judicat, de hac nulla. *Ibid.*

340. Honestus est, cum judicaveris amare; quam cum amaveris, judicare. *De Moribus*.

341. Boni judicis est dispensare non tantum quid dampnandum sit, sed quotenus. *Ibid.*

342. Grave præjudicium est, quod judicium non habet. In *Prose*.

SIT. PHIL.

343. Majus est periculum judicantis, quam ejus qui judicatur. Sent. 174.

Vide etiam tit. *Damnatio*, sent. 23; *Excommunicatio*, sent. 14; *Homo*, sent. 67; *Hypocresis*, sent. 43; *Injuria*, sent. 24; *Passio Christi*, sent. 33; *Prælatio*, sent. 96; *Res*, sent. 63; *Rous*, sent. 34; *Sententia*, sent. 4, 5, 6, 7, 49.

JUDICIUM DEI.

COLLECTOR

Definitio. Judicium Dei est independentis potestatis decretum, definiens quid cuique debitum sit.

SENTENTIA PATRUM.

S. AMBROS.

1. Judicium Dei magis inscrutabile est in electione gratiæ, quam in retributione justitiæ. Lib. 1 *de Vocat. gentium*, cap. 9.

2. Pater nobis Deus est, cum bene agimus : judex noster est, cum peccamus. *de Natali Domini*.

3. Divina judicia meritum justitiae ex mentis habitu, non aliquo factorum exitu metiuntur. Lib. 1. super *Luc.*, cap. 1.

4. Væ etiam laudabili vitæ, si remota misericordia, Domine, discutias eam. Lib. 9 *Confess.*, cap. 43.

5. Animus male sibi conscius, dum sibi videtur nullam penam pati, credit quod non judicet Deus, et sic auferuntur judicia Dei a facie ejus, cum hæc ipsa sit magna damnatio. Super *Psalm.* ix. vers. 27 : *Auferuntur judicia tua, etc.*

6. Duo sunt judicia Dei, occultum et manifestum. Occultum est pœna, qua nunc unusquisque hominum aut exercetur ad purgationem, aut admonetur ad conversionem, aut si contempserit vocacionem et disciplinam Dei, execratur ad damnationem. Manifestum est, quod venturus est Dominus judicare vivos et mortuos, omnibus latentibus cum esse a quo et bonis præmia, et malis supplicia, tribuentur. Super *Psalm.* ix.

7. Judicium Dei formidandum est, et amandum formidandum malis propter penam, amandum bonis propter coronam. Super *Psalm.* c. vers. 4 : *Misericordiam et judicium.*

8. Fit ut qui hominis non timent in delinquendo judicium, Deum sentiant iudicem et ultorem. *De Vita christiana*, cap. 3.

9. Ille judex Christus, nec gratia prevenitur, nec misericordia flectitur, nec pecunia corrumpitur, nec satisfactione mitigatur. *Prose.*

10. Hic dum tempus est, quidquid potest anima agat pro se, ubi locus est misericordia : hic agat anima penitentiam, ut judex ille Deus possit mitare sententiam. Lib. 3, *de Symbolo*, cap. 8.

11. Domini, cui munda est humana conscientia, nec testem fallunt, nec iudicem homines fugiunt. Epist. 130.

12. Non differentis Dei spernendum et iudicium qui nonnunquam et in presenti judex ultor assurgit. Epist. 178.

13. Deus judex voluntatum est, creator autem naturarum. Lib. 2, *de Actis cum Felice*, cap. 12.

14. Ferto patrem erudientem, ne sentias iudicem punientem. Tract. 12, super *Joan.*

15. Non indignatur Deus testis esse, qui judex est : quoniam qui testis est, ipse judex erit. *Ibid.* tract. 36.

16. Lacescit iudicem, qui postposita satisfactione delicti, quaerit præmia honorari. *Sat. Medit.*, cap. 2.

17. Novit Deus quid agas, intus te videt, intus te examinat, intus judicat, intus aut damnat, aut coronat. Tract. 26, super *Joan.*

18. Ha Deus juste judicat, ut etiam exaudiat, veniam deprecantes, et tanto magis quanto magis juste judicat. *Annot. in Job*, cap. 37.

19. Dei judicia occulta sunt multa, injusta nulla. Lib. 18, *de Civit. Dei*, cap. 18.

S. AUGUST.

20. Inest Deo et misericordia judicanti, et judicium miseranti. Epist. 29.

21. Dei altum justumque judicium nullus contempit evadit. Epist. 54.

22. Laudet misericordiam qui liberatur, non calpet judicium qui punitur. Epist. 106.

23. Homini possem demonstrare justitiam meam, in Dei autem judicio invenior injustus. *Annot. in Job*, cap. 9.

S. EUSEBIUS
EMISENIENSIS.

24. Potuit Deus delegare Angelis suis discutiendi hominis potestatem; sed agnosce, o homo, nobilitatem tuam; nulli etiam vel celesti creaturæ esse te subjectum voluit, nulli de te judicare permisit: agnosce nobilitatem tuam, soli Deo competit de te ferre sententiam. Homil. 2. de *Symbolo*.

S. GREGORIUS
MAGNUS.

25. Dei judicio nullus absconditur, quia nullatenus potest, aut non videre quod facimus, aut oblivisci quod videt. Lib. 25 *Moral.*, cap. 4.

26. Omnia non solum facta, sed et cogitata districte pensantur; quid faciunt de incessu mali operis, si sic subtiliter Deus judicat gressus cordis? *Prose.*

27. Ecce occulta mentis nostræ itinera nullus hominum videt, et tamen ante Dei oculos tot gressus ponimus, quot affectus movemus. *Ibid.*, cap. 3.

28. Occulta Dei judicia, quanta obscuritate nequeunt conspici, tanta debent humilitate venerari. *Ibid.*, lib. 27, cap. 2.

29. Divina judicia cum nesciuntur, non audaci sermone discutienda sunt, sed formidoloso silentio veneranda. *Ibid.*, lib. 32, cap. 1.

30. Sic Dominus uniuscujusque considerat vias sic dinumerat gressus, ut ne minutissimæ quidem cogitationes ejus judicio, ac verba tenuissima indiscussa remaneant. *Ibid.*, lib. 21, cap. 4.

S. HIERON.

31. Christiani judicium Dei magis debent timere, quam hominum. Epist. 37, ad *Pammach. et Ocean.*

HUGO A. S.
VICTOR.

32. Judex Deus corrumpi non potest, quia justus est: ei resisti non potest, quia fortis est: impetum non judicat, quia patiens est. Lib. 3 *Miscellan.*, codic. 2, tit. 47.

HUGO CARD.

33. Si purus homo judex esset, posset falli, vel corrumpi, vel vinci, et impediretur justitia: sed Deus est judex, qui nec falli, nec corrumpi, nec superari poterit. Super *Psal.* XLIX.

S. JOANNES
CHRYSTOST.

34. In justo judicio Christi, non solum queritur, ut Christus cognoscat se juste hominem judicare, sed etiam ut homo ipse cognoscat se juste a Christo judicari. Homil. 3, super *Matth. Oper. imperf.*

S. JOAN. CL.

35. Gravissimum est, velle abyssum judiciorum Dei curiose perscrutari. Grad. 26.

36. Eo magis timenda sunt judicia Dei, quo de occultiori justitia et secretiori ratione proveniunt. Epist. 139.

37. Sicut Deus erga pios indulgentissimus est Pater, sic adversus impios recitissimus judex. Lib. 1. *Divin. Inst.*, cap. 1.

38. Nemo judicium Dei potest, nec vivus effugere, nec mortuus. *De ira Dei*, cap. 20.

39. Justus est judex et verax, qui neminem fraudat mercede meritorum. Serm. 3, de *Collectis*.

40. Iste et summi judicis tremendus aspectus: cui porvium est omne solidum et apertum omne secretum: cui obscura clarent, muta respondent, silentium confitentur, et sine voce mens loquuntur. Serm. 5, *Quadr.*

41. In laqueum periculosos se injiciunt, qui ipsa Dei judicia temere audent perscrutari. In *Canon. vite spirit.*, cap. 5.

42. Deus ut judex arguit, et ut judex regit: judex promit sententiam, judex noxios perimit, judex innocuos muneratur. Lib. 1, de *Gubernat. Dei*.

43. O quanta est infidelis malarum mentium cæcitas! damnationem perferimus judicantis Dei, necdum agnoscimus judicari. *Ibid.*, lib. 5.

44. Justum est, et terroris plenum divinum judicium. Super *Psal.* vi, vers. ult.

45. Judicia Dei metuenda sunt, non discutienda, quia humano intellectui sunt incomprehensibilia. Lib. 3, de *Imit. Christi*, cap. 58, sect. 1.

JUDICIUM EXTREMUM.

Definitio. Judicium extremum est universalis separatio honorum a malis in valle Josaphat a summo judice Deo facta.

Divisio. Judicium extremum triplex est: discussionis, salvationis, damnationis. Super *Psal.* XXXIV.

SENTENTIE PATRUM.

1. Quoties diem judicii cogito, toto corpore contremisco. *De Paradiso anime*, part. 1, de *Virt.* cap. 21.

2. Nihil est quod magis proficiat ad vitam honestam quam ut credamus Deum judicem futurum, quem et occulta non fallant, et indecora offendant, et honesta delectent. Lib. 1 *Offic.*, cap. 26.

3. Nemo de die judicii cogitat, nemo loquitur, quasi aut per omnia victuri, aut per omnia morituri. Serm. 80.

4. Juxta est dies Domini magnus, dies judicii; juxta et velox nimis dies iræ dies tribulationis et angustiae, dies tenebrarum et caliginis, dies ne-

JOANNES
SARESE.

LACT. FIRM.

S. LEO I.

S. ANTONIN.

S. AUGUST.

LUDOVICUS
BLOSUS.

SALVIANUS.

S. THEODO.

THOMAS
A KEMPIS.

COLLECTOR.

S. BOSAV.

S. ALBERT.
MAGNUS.

S. AMBRO.

S. ANSERM.

bule et turbinis, dies tubæ et clangoris. *De Miseria hominis*.

5. In judicio hinc erunt accusantia peccata, inde terrens justitia: subitus patens horridum chaos inferni, desuper iratus judex: intus urens conscientia, foris ardens mundus. *Prose.*

6. Ibi justus vix salvabitur, constrictus ubi latet? latere erit impossibile, apparere intolerabile. *Ibid.*

S. ANTONIN.

7. Judicium durissimum fiet his, qui præsumdarum, si non bene rexerint seipos; durius, si non bene gubernaverint familiam propriam; durissimum, si justitiam legalem omnibus non ministraverint. Part. 4, tit. 5, cap. 2, § 4.

S. AUGUST.

8. In quo quemque invenerit suis novissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi novissimus dies: quoniam qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo judicabitur. Epist. 80, ad *Hesyeh.*

9. In futuro Christi judicio, nec absidm gradate, nec cathedre volatae, nec sanctorum alium occurrentium atque cantantium greges adhibebuntur ad defensionem, ubi coperit accensare conscientia, et conscientiarum arbiter judicare. Epist. 203, ad *Macimin. episc.*

10. Manifestus veniet inter justos et injustos, judicaturus juste, qui primus venit occultus ab injustis judicandus injuste. Lib. 20, de *Civit. Dei*, cap. 24.

11. Quando Deus judex erit, alius testis quam conscientia tua non erit: inter judicem justum et conscientiam tuam, noli timere nisi causam tuam. Super *Psal.* xxxvii, vers. 16.

12. Judicium Dei formidandum est et amandum: formidandum malis propter penam, amandum bonis propter coronam. Super *Psal.* c, vers. 1.

13. Modo tacet Christus, tacet judicio, sed non tacet præcepto: sicut ut judicaretur, non silebit cum coperit judicare. Tract. 4, in cap. 1, *Evang. Joan.*

14. Tot judicibus inops astabo, quot me præcesserunt in opere bono: tot arguentibus confundar, quot mihi præbuerunt bene vivendi exempla. *Prose.*

15. Tot vinear testibus, quot me monuerunt proficis sermonibus, seque imitandos justis deriderunt actionibus.

16. Domine mi, non suppedit quid dicam, non occurrit quid respondeam: et cum jam interim sero illi discrimini, torquet me conscientia, cruciant cordis arcana, coarcat me avaritia, accusat superbia, consumit invidia, inflamat concupiscentia, infestat luxuria, dehonestat me gula, ebrietas confutat, detractio lacerat, ambitio sup-

plantat, rapacitas oburgat, discordia me dissipat, ira perturbat, levitas dissolvit, torpor opprimit, hypocrisis fallit, adulatio fragit, favor atollit, calumniam pungit. In *Medit.*, cap. 4.

17. Homines caveant futurum judicium, ne cum mundi principe damnentur, quem judicatum imitantur. Tract. 95, super *Evang. Joan.*, cap. 16.

18. Quanta speranda vel timenda potestas judicantis si apparuit tanta morientis? *Ibid.*, tract. 119, cap. 19.

19. Sedebit judex, qui stetit sub judice: damnabit veros reos, qui factus est falsus reus. *De verbis Domini*, serm. 64.

20. Expectatur dies judicii, aderit ille æquissimus judex, nullius potentis personam corripet. Serm. 2, *Vigil. Nat.*

21. In judicio nec falsos testes adduces quibus judex fallatur: nec patronos fraudulentos: tunc enim ipse erit judex causa tuae, qui modo testis vitæ tue. *De Decem chordis*, cap. 2.

22. Advocatus noster venturus est judex noster. Homil. 42, ex *Quinquag. homil.*, cap. 1.

23. Homo venit ut judicaretur, homo veniet ut judicet. Tract. 4, super *Epist. Joannis*.

24. Non silebit Christus judicaturus, quia sicut judicatur. Homil. 28, ex *Quinquag. homil.*, cap. 1.

25. In futurum judicium servatur ad manifestationem acce acerrimum sensum miseris, quidquid nunc occultissime vindicatur. Lib. 3, de *Libero arbit.*, cap. 15.

26. Nullus erit homo, qui in judicio de sua posit infidelitate defendere: cum Christum cantet et justus ad æquitatem, et perjurus ad fraudem. Epist. 42.

27. Deus perpetua in hoc sæculo punit, ne Dei providentia non esse credatur: et multa servat ultimo examini, ut futurum judicium commendetur. Epist. 54.

28. Istet ultimus dies, ut observentur omnes dies. Homil. 13, ex *Quinquag. homil.*

29. Novissima tua sunt, mors, judicium, gehenna. *Prose.*

S. BERNARD.

30. Quid horribilius morte! quid judicio terribilius? gehenna nihil potest intolerabilius cogitari: quid metuet, si quis ad ista non trepidat, non expavescit, non timore confutitur? Serm. de *primordiis*, etc.

31. Paveo gehennam; paveo judicis vultum, ipsis quoque tremendum angelicis potestatibus. *Prose.*

32. Contremisco ab ira potentis, a facie furoris ejus, a fragore ruentis mundi, a conflagratione elementorum, a tempestale valida, a voce Archangelii, a verbo aspero.

33. Contemnisso a dentibus bestie infernalis, a ventre inferi, a rugientibus preparatis ad escam.

34. Horreo vermem rodentem, et ignem torrentem, fumum et vaporem et sulphur, et spiritum procellarum: horreo tenebras exteriores.

35. Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, ut preveniam fletibus fletum, et stridorem dentium, et manum pedumque dura vincula, et pondus catenarum prementium, stringentium, urentium, nec consumentium?

36. Heu me mater mea, ut quid me genuisti, filium doloris, filium amaritudinis, indignationis et plorationis eterne? cur exceptus genibus, cur lactatus uberibus, natus in combustionem, et cibus ignis? Serm. 46, super Cant. in medio.

37. Tanta erit in majestate sublimitas, novitas in facie ipsa rerum, ut non possit cogitari. *Ibid.*, serm. 78.

38. Nudus stabit ante tribunal Christi, ut audiatur vocem judicii, qui ad vocem consilii obturavit aures suas. *Prosec.*

39. Utilius et multo salubrius est hodie audire Deum consulentem, consolantem, admonentem, docentem, et ut multum arguentem, increpantem, corripientem, quam in die illa judicii tam amara, tam lugubri, tam tenebrosa voce, audire illum judicantem, indignantem, ulscentem, severientem, condemnantem. Serm. de verbis Habacuc.

40. Necessae est omnes, qui in futuro judicio examinandi sunt, vel esse judicis amicos, vel apud judicem interesse habere amicos. In suis *Sentent.*, verbo *Quatuor sunt.*

41. Quid faciet de injustis judicis, qui ipsas quoque justitias judicabit? *Prosec.*

42. Veniet, inquam, veniet dies judicii, ubi plus valebit pura corda, quam astuta verba: et conscientia bona, quam marsupia plena. Quandoguidem judex ille nec fallitur verbis, nec flectitur donis. Epist. 1, ad Robertum Nepotem suum.

43. Venturi timor judicii, pio cedit fraternas charitatis exercitio. Epist. 78, ad Suggestum, abbat. S. Dionysii.

44. Cognoscetur tunc Dominus judicia faciens, qui nunc ignoratur misericordiam querens. De duodecim gradibus humilit., verbo *Inquirimus.*

45. Judicium faciet gestorum quisque suorum: cunctisque eunctorum cunctis arcana patebunt. Lib. *Medit.*, cap. 2.

46. Talis studeas vivere, qualis affectas in extremo judicio inveniri. Epist. ad quemdam.

S. BONAV.

47. Fulurum judicium est timendum propter tria: propter judicis terrorem, propter judicii ri-

gorem, propter suppliciorum horrorem. Epist. 2, super *Psalm.* cxviii, cap. 1, vers. 6, art. 1.

48. Judicare auctoritate et dictamine sententiae, est totius Trinitatis. Judicare prolatione sententiae, et evidentia forme, sive ministerio, erit filii hominis. Judicare vero assistentia et approbatione, erit Apostolorum, et Apostolicorum virorum. Super *Joan.*, cap. 5, in illud: *Potestatem dedit eis, etc.*

49. Debemus tanto sollicitius diem judicii formidare, quanto eam non possumus providere. Super *Luc.*, cap. 4.

50. Etiam qui Sancti sunt presentiam Dei in judicio absque formidine non videbunt. Lib. 3, *Phaetora.*

51. Nullus in extremo judicio poterit fallere sapientiam, flectere justitiam, inclinare clementiam, declinare ultionis et justae retributionis sententiam. In *Soliloq.*, cap. 3.

52. In extremo judicio latere erit impossibile, apparere intolerabile. *Ibid.*

53. Ultimum judicium erit horribile ex omni parte, quia supra erit judex austerus et iratus, subitus patens infernus, intus conscientia remordens, extra mundus ardens, a dextris peccata accusantia, a sinistris demonia terrentia. Lib. 7, *Compend. Theolog. verit.*, cap. 17.

54. Judicium extremum erit horribile, intolerabile, inevitabile, inopinabile, inexorabile, erubescibile. *Ibid.*

55. O anima! sive vigiles, sive dormias, semper in auribus tuis illa horribilis tuba resonat: Surgite mortui, Venite ad judicium. *Prosec.*

56. O anima! nunquam exeat a tua memoria, iste maledicti in ignem eternum, venite benedicti, percipite regnum.

57. O quid potest lamentabilis et terribilis cogitari, quam He? et quid delectabilis exprimi, quam Venite? Duae sunt voces, quarum nihil horribilius una, et nihil jucundius altera poterit audiri. In *Soliloq.*, cap. 3.

58. Saluberrima, ac multum necessaria est, futuri judicii recordatio. Homil. 29.

59. Non est in judicio futuro singulorum hominum vicissim discussio operanda, sed momentaneo discursum simul omnia sicut fecit, et judicat. Super *Psalm.* ii, vers. ult.

60. Veniet exactis temporibus universorum judex potestate praeditus et gloria, quis divinam decebat Majestatem, comitatu Anglorum stipatus ut reddat unicuique juxta opus suum. Homil. 17, de *Festis Paschal.*

61. Memineris judicii, et non erit scortatio, nec adulterium, neque homicidium, neque ulla iniquitas apud te invalescet. *Cateches.* 2.

S. CASSIUS
ARELAT.
CASSIODO.S. CYRILLUS
ALEX.S. CYRILLUS
HIERSOL.DIONYSIUS
CARTUS.

62. In die judicii erit in reprobis conscientia urens atque remordens: in electis vero, conscientia bonae fiducia. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 2, art. 5.

S. EPHEM.

63. Si peccatum aliquod perpetratus sis, revolve prius animo tuo horrendum illud Christi judicium: in quo judex in alto atque sublimi praesedit throno, astabit omnis creatura tremebunda coram glorioso et illustri ejus conspectu. De futuro judicio.

64. Sive operi, sive orationi intentus sis; sive ambules, sive sedeas, sive comedas, sive jejunes, sive quid aliud agas, non desistas mens tua cogitare de extremo Dei judicio. Serm. de secundo Adventu.

S. EUSEBIUS
CESAR.

65. Agile solatia vestra, in deliciis explete voluptates, seminate in corruptione, ut de corruptione colligatis divinam sententiam, quam justus ille dabit judex in magni judicii die, dicens: Ite maledicti in ignem eternum. *Prosec.*

66. Heu! cor lapideum, si cum talem tibi cogitas ob hujus mundi prava solatia imminere sententiam non formidas.

67. Si illum expectas diem tam terribilem et crudelem, in quo non solum de luxuriis, vestibus et ebrietatibus, et deliciis, et toto tempore amissio, quo vixisti: sed etiam de qualibet te oportebit cogitatione vana, Domino reddere rationem; cur non emendaris? Epist. ad Democ. Pap., de morte D. Hieron.

S. EUSEBIUS
EUSEN.

68. Ille veniet ad judicandum nos, qui se judicio meminim addictum pro nobis. *Prosec.*

69. Ille veniet ad dispiciendam vitam nostram, qui eam restituit per mortem suam. Homil. 1, de *Symbolo.*

70. Quam lugubre erit in extremo judicii die homini reprobo Deum videre et perdere, et ante pretii sui conspectum perire. *Ibid.*, homil. 4, ad *Monachos.*

71. Saluberrima multumque necessaria futuri judicii recordatio est, et praeteritorum commemoratio et deploratio delictorum. *Ibid.*, homil. 5.

72. Timor futuri judicii mitigat iram, et cogitatio ultimi diei frangit superbiam. *Prosec.*

73. Non tibi licebit vel celare aliquid, vel negare, ubi non de longe aliunde: sed deintus processurus est accusator et testis. *Ibid.*, homil. 8.

74. Ascendenda est compunctio, corroboranda sunt precis futuri recordatione judicii, atque misericordiarum operibus adjuvanda. *Ibid.*, homil. 10.

75. Illa anima quae bene cursum suum direxe-

rit, non timebit illius ultimae horae necessitatem. *Ibid.*, homil. 8.

76. In judicio extremo quatuor erunt ordines. Alii judicabunt, et non judicabuntur, ut perfectissimi; alii nec judicabunt, nec judicabuntur, ut damnati infideles; alii judicabuntur, et salvabuntur, ut mediocriter boni; alii judicabuntur, ut pereant, sicut fideles mali. Super *Psalm.* viii.

77. Ira judicii tanto districtior portabitur, quanto nunc minus timetur. Super *Proverb.*, cap. 28.

78. Impii in judicio, quae sibi sperabant prodesset, invenient nocuisse. Super *Sap.*, cap. 4.

79. Aut nullus, aut rarus diem judicii poterit sustinere, qui non in se praebet materiam severiendi. Super *Joel*, cap. ii, in illud: *Et quis sustinebit eum?*

80. Tunc cum Deo judices venient, qui nunc pro Deo injuste judicantur. Lib. 40 *Moral.*, cap. 17.

81. Quid ad extremum Dei judicium venit, non jam coram illo, sed ab illo judicatur. *Ibid.*, lib. 25, cap. 5.

82. Dies judicii, porta est regni: quia per eam ab electis omnibus ad caelestis patriae gloriam intratur. *Ibid.*, lib. 6, cap. 5.

83. Quisquis stimulo divini amoris excitatus, hic possessa reliquerit, in judicio procul dubio culmen judicariae potestatis obtinebit. *Ibid.*, lib. 40, cap. 17.

84. Ille postmodum cum Deo judex veniet, qui hic ei modo in prece familiaris exiterit. *Ibid.*, lib. 11, cap. 13.

85. Districtum Dei judicium tanto verius tunc super delinquentes mitigabitur, quanto nunc acriter ab homine arguente praeventur. *Ibid.*, lib. 26, cap. 2.

86. Justi viri cum districtiorem venturi judicii contemplantur, peccata sua ad memoriam reducunt, et desunt quae commiserunt, et districto se judicant, nec judicantur. *Ibid.*, lib. 11, cap. 13.

87. Tunc cum Deo judices venient, qui nunc pro Deo injuste judicantur. *Ibid.*

88. Tunc eorum lux tanto latius emicabit, quanto eos nunc manus persecutorum durius angustat. *Ibid.*, lib. 10, cap. 17.

89. In die judicii ultimo ipse peccata judicabit, qui nunc peccantium derisionem portat. *Ibid.*

90. Rectum est, ut cum Deo de populis in judicio judicent, qui ad verba Dei praesens saeculorum perfecte derelinquunt. *Ibid.*, lib. 2, cap. 13.

91. Ante retributionem extremi judicii, injusti in requie quosdam justos conspiciunt, et eos videntes in gaudio, non solum de suo supplicio,

GLOSS. ORD.

GLOSS. INT.

GLOSS. ORD.

S. GREGOR.
MAGNUS.

sed etiam de illorum bono cruciuntur. Homil. 40, super *Evang.*, super illud *Luc.* xvi: *Rego te ego Pater*, etc.

92. Fratres charissimi, districtus iudex ad examinandum deducturus est cuncta quae gerimus, et unumquemque nostrum, non ex prerogativa sublimioris gradus, sed operum meritis approbabit. Lib. 1, ex *Registro*, indict. 9, cap. 75, epist. 75.

93. Venturi iudicis quisque examen tremendum cum metu et lacrymis quotidie sine cessatione consideret: illumque diem in quo perturbanda sunt omnia cum timore ad animum reducat, ut iram iudicis in ipso jam die non timeat. Lib. 2, ex *Registro*, indict. 6, cap. 37, epist. 37, ad *Eusebium Patricium*.

94. Mens conversa quanta sit districtio extremi examinis pensat, inter spem formidinemque sollicita trepidat: quia iudex justus veniens, quid de perpetratis reputet, quid relaxet, ignorat. Lib. 4 *Moral.*, cap. 31.

95. Perpendamus quanta debemus formidine venturum iudicium semper expavescere, quando quidem beatus Job ad requiem se post flagella perventurum noverat, adhuc tamen de retributione iudicis in suis vocibus securus non est. *Ibid.*, lib. 43, cap. 17.

96. Cunctis liquet quod in illa extrema requisione examen publicum facturus est omnipotens Deus: ut alios ad tormenta deserat, alios ad participationem regni ecclesis admittat. *Ibid.*, lib. 25, cap. 7.

97. In adventu districti iudicis in majestate, visuri sunt quem in humilitate positum audire noluerunt: ut virtutem ejus tanto tunc districtius sentiant, quanto nunc cervicem cordis ad ejus patientiam non inclinant. Homil. 4, super *Evang.*, super illud *Luc.* xxi: *Et tunc videbunt filium hominis*, etc.

98. Semper extremum iudicii diem debemus metuere, quem nunquam possumus praevidere. *Ibid.*, homil. 42, super illud *Math.* xxv: *Vigilate quia nescitis diem, neque horam*.

99. Illic tantum pavorem iudicem ante oculos ponite, hunc venturum timeate: ut hunc cum venerit non timidi, sed securi videatis: timendus est, ne timeatur. *Ibid.*, homil. 26, super illud *Joan.* xx: *Beati qui non viderunt, et crediderunt*.

100. Si tanta cura pertimescitur iudicium hominis, qua formidine providendum est iudicium extremum tante majestatis? *Ibid.*

101. Pavidi corde futura iudicia cogitant, sed presenti voluptate devicti, mala committere nequaquam vitant. Lib. 5, in 1, *Reg.*, cap. 2, super illud: *Si timueritis Dominum*, etc.

102. Iudicium extremum venire non trepidat, nisi quem conscientia de peccatis accusat. In *Septem. Psalm. Penit.* super *Psalm.* 1 vers. 7.

103. Dum vacat, dum licet, animadversionem tanti terroris (irae scilicet districti iudicis) fuge. Lib. 1 in *Registr.*, indict. 9, cap. 53, epist. 33, ad *Venant. Cancellar. Ivliam*.

104. Quisquis festinat evadere districtionem iudicis sequentis, per amaritudinem penitentiae omnem sibi dulcedinem interimat vitae presentis. *Ibid.*, lib. 9, indict. 4, cap. 25, epist. 25: ad *Venant. episc. Syracus.*

105. Quo mens erit hominis, aeterni iudicis sententiam non formidantis? ibi enim tunc simul cuncta peccata ante oculos reddunt: ibi omnia, quae cum delectatione acta sunt, ad memoriam cum pavore revocantur. Homil. 2, super *Ezech.*, super illud *Math.* xxiv: *Sol obscurabitur*.

106. Redemptor humani generis cum iudex apparuerit, et speciosus justis, et terribilis erit injustis. *Ibid.*, homil. 7, super illud *Psalm.* xviii: *Eruavit ut gigas*.

107. Quem mansuetum aspiciet electi, hunc eundem pavendum atque terribilem conspiciet reprobi. *Ibid.*

108. Pensemus quam districtus iudex veniet, qui iudicium minatur, et latet: terrores peccatoribus intonat, et tamen adhuc sustinet: et tideo venire citius differt, ut minus inveniat quod condemnet. Homil. 10, super *Evang.*

109. In adventu sponsi clamor in media nocte fit: quia sic dies iudicii surrepit, ut provideri non valeat, quando venit. *Ibid.*, homil. 12.

110. Ecce mora non erit, et ardente caelo, ardente terra, coruscantibus elementis cum angelis, cum Thronis, et Dominationibus, cum principibus et potestatibus, tremendus iudex apparebit. Lib. 2, in *Registro*, indict. 2, cap. 100, epist. 61, ad *Maurit. august.*

111. Necessè est ut saepius cogitemus quales futuri sumus in die iudicii purissimis Angelorum conspectibus offerendi, et aeterno iudicii rationem de libris conscientiae reddiuri. Serm. 1, *Dom. post Ascens.*

112. Iudicaturus Domino lugubre mundus immungit, tribus ad tribum pectora ferient, potentissimi quondam reges nudo latere palpitant; exhibebitur cum prole sua vere tunc ignitus Jupiter, adducetur et cum suis stultus Plato discipulis, Aristotelis argumenta non proderunt. Epist. 4, ad *Heliodor.*

113. Extremi iudicii dies, quanto longe differtur ut veniat: tanto cum venerit, de illo districtior sententia procedet: idcirco diversis nunc claudibus perciturur, ut his correcti, paratores

tunc inveniri valeamus. Lib. 2 super *Lament. Hierem.*, cap. 3, super illud: *Tetenuit arcum suum*.

114. Tunc sine nominum dignitate sola iudicatur ingenia, sive Episcopus, sive sit laicus, Imperator aut Dominus, miles aut servus, aut purpura et serico, aut vilissimo panno jaceat: non honorum diversitate, sed operum merito iudicabitur. Lib. 2, super *Oseam*.

115. Mororem diei iudicii et tormenta pereuntium, ne sol quidem et luna, astraque caetera poterunt intueri: sed retrahent fulgorem suum. Super *Joel.*, cap. 3, super illud: *Populi in valle*, etc.

HUGO CARD. 116. Si purus homo iudex esset, posset falli, vel corrumpi, vel vinci, et sic impediretur injustitia: sed Deus est Iudex, qui nec falli, nec corrumpi, nec superari poterit. Super *Psalm.* xlii.

117. In die iudicii, iudex interrogabit et examinabit dicta et facta singulorum. Super *Sap.*, cap. iv.

S. JOANNES CHRYSOST. 118. In extremo iudicio tantus timor erit omnium, etiam Sanctorum, ut nemo speret se justum inveniendum, sed adhuc timeat ne forte reus existat. Homil. 52, super *Math.* Oper. imperfect.

119. Sicut tempus misericordiae iudicium non ansipit, sic tempus iudicii misericordiam non recipit. *Ibid.*

120. Terribile erit iudicium, horrendum tribunal, plene tremoris poena, et fluvius igneus, qui reos corripiat. Serm. 5, super *Epist. ad Rom.*

121. Illic magnum iudicem ars rhetoris nulla decipiet, et nullius potentia mitigatur, dignitati non condescendit, non veneratur personam, sed tremendum et implacabile erit iudicium. Homil. 5, de *Pavil.*

S. JOANNES DAMASCEN. 122. Non illic orator est, non illic verborum lenocinium quod veritatem iudicii surripere queat: non adulatores comitantur, non opes, non dignitatis fastus: Vacuus amicis, vacuus adiutoribus ac patronis, et pudore suffusus quisque relinquatur, moestus, tristis, solus ac fiducia expertus. *Prosec.*

123. Quocumque quispiam oculos converterit, perspicuus operum suorum imagines cernet, ubi res ipsae sigillatim testimonium dicent apparentes quales gesta sunt.

124. Illic condemnabitur, non is duntaxat, qui sceleris auctor fuit, sed is etiam, qui malum ducent ad peccatum secutus est. Lib. 1 *Parall.*, cap. 45.

125. Horrendum illam ac tremendum diem memoria teneat, in quo omnes ad Christi tribu-

ni sustentur, ut eorum quae in vita gesserint, rationem reddant. *Prosec.*

126. Illic enim ante omnium oculos peccata proponuntur ac deteguntur, atque ignorantibus ostenduntur.

127. Illic fons ignis, et pervigil vermis: illic omnia nuda, et aperta.

128. Illic cordium nostrorum libri aperientur, atque in medio tam perspicua, quam obstrusa; tam quae noctu, quam quae interdiu perpetrata sunt, legentur.

129. Coram uno homine indecori aliquid hic agere nos pudet, illic autem coram tot myriadibus quid faciemus? *Ibid.*

130. Cum ad Dei iudicium ventum fuerit, non erit discussio generationum, sed actionum: nec dicit, Cujus naturae fuisti vel generis, sed virtutis? quoniam virtus meritum habet, generatio nihil. In cap. 2, *Regul. S. Bened.*, verbo *Non*.

131. Quoties diem iudicii cogito, totus corde et corpore contremisco: unde si qua praesentis vitae est laetitia, illa agenda est, ut nunquam amaritudo futuri iudicii recedat a memoria. Lib. 2, ad *Monach.*, serm. 5.

132. Ad districti examen iudicis, nec iustitia si securus est, nisi pietate divina, ut et ipsa iustitia, qua quisque justus est, Deo justificante justificetur. Lib. 1, de *Summo bono*, cap. 27, sent. 3.

133. In iudicio reprobi humanitatem Christi, in qua iudicatus est, videbunt ut doleant: divinitatem vero ejus non videbunt, ne gaudeant. *Prosec.*

134. Pro diversitate conscientiarum, et mitis apparebit in iudicio Christus electis, et terribilis reprobis.

135. Nam qualemcumque quis conscientiam tulerit, talem et iudicem habebit: ut manente in sua tranquillitate Christo, illis solis terribilis appareat, quod conscientia in malis accusat. *Ibid.*, sent. 8.

136. Impii ex hoc durius in iudicio puniendi sunt mentis dolore, ex quo visuri sunt justos gloriae beatitudinem meruisse. *Ibid.*, cap. 29, sent. 4.

137. In iudicio extremo cunctis videntibus est praecipitandus diabolus. *Ibid.*, sent. 5.

138. Non faciet in iudicio futuro cor miserum iustorum ex compassione damnatorum condolendi affecto. *Ibid.*, cap. 30, sent. 1.

139. Securus prorsus et intrepidus in extremo examine coram iudice iudicaturus adstabit, qui nullam divinae gloriae rapinam exercuit. de *perfect. gradibus*, cap. 14.

140. O quam lugubre erit reprobis videre, et

JOAN. TRITH.

S. ISIDORUS HISPALENS.

S. LAURENT. JUSTIN.

PETR. BLES.

perdere Deum, atque ante sui Salvatoris perire conspectum! Ubi tunc erunt deliciae tuas, de quibus sola remanebit recordatio in tui accusationem et obligatio in tormentum? Epist. 431, *ad quemdam Prior.*

S. PETRUS DAMIANUS.

441. In die iudicii non potest mereri quae petit, qui hic noluit audire quae Dominus jussit. Lib. 4, epist. v.

442. Si solus ille ultimi diei terror et horror, ut dignum est studiose discutitur, tota mundi hujus deceptor, et falsa felicitas despicitur. Lib. 8, epist. 8.

443. Veniet ipse iudex cum potestate magna et majestate.) Non cum dulcedine et humilitate. Tunc ille misericus oculus non parcat, et non miserebitur, sed percutiet et occidet, indutus ira, furore repletus, plenus crudelitate. Serm. 56, *de S. Martino.*

SALVIANUS.

444. In tremendo illo iudicio peregrinanti animae atque anxie nullum potest omnino esse solatium, nisi sola tantummodo bona conscientia, nisi sola tantum innocens vita, aut (quod proximum est) bonae vitae misericordia. *Prosec.*

445. Ubi reo homini nullum est adiutorium, nisi sola mens larga, nisi penitentia fructuosa, et elemosinae copiosae, quasi manus valida.

446. Ubi denique pro diversitate meritorum, aut summum bonum invenies, aut summum malum; aut immortale praemium, aut sine fine tormentum. Lib. 3, *ad Eccles. Catholic.*

S. THOMAS AQUINAS.

447. Conveniens est ut in forma humanitatis veniat iudicaturus in qua venerat iudicandus. *De ultimo Adv. Christi.*

448. In iudicio extremo ex indicis passionis et Crucis Christi apparebit gloriosior salus electorum, et justior damnatio reproborum. *Ibid.*

449. Sicut potestas Christi iudicantis erit insuperabilis, ita sapientia ineffabilis, iustitia inflexibilis. *Ibid.*

THOMAS A KEMPIS.

450. In die iudicii plus exultabit caro afflicta quam si in deliciis fuisset nutrita: tunc splendebit habitus viuis, et obtenebrescet vestis subtilis. Lib. 1, *de Imit. Chr.*, cap. 24, sect. 5.

SENTENTIAE PAGANORUM.

PLATO.

451. Cum etiam atque etiam animadverto quae ratione coram iudice compaream sanissimo praeditus animo, conabor quantum in me situm erit revera esse optimus, et ita vitam meam traducere, ut cum moriendum erit, moriar bene. *Prosec.*

452. Omnes autem ceteros homines, quantum possum, hortor atque moneo, ad hujus vitae rationem suscipiendam, quod omnium quidem quae

in hac versatur optimum, praestantissimumque esse iudicio.

453. Haec obijurgo te, Callicles, quod ita te minime compares, ut tibi ipsi auxilium ferre possis dum vis, cum ad hoc iudicium tam tremendum, de quo modo sum locutus, tibi fuerit veniendum.

454. Sed ubi veneris ad supremum illum iudicium, tum vero hiabis, et vertigine corripieris, et tu illic fortasse omni contumelia afficeris atque opprobrio.

455. Haec tibi fortasse videntur aniles fabulae, ac proinde illa contemnis, cum non possis veriora invenire.

456. Qui supersunt Graecorum sapientissimi, et tu, non potestis tamen demonstrare aliam quamdam vitae rationem esse inveniendam, quam hanc, quae etiam illic conducere videtur. *de Rhetor.*

457. Immortales crede te manere in iudicio honoris, vel penas. Sent. 41.

458. Qualia studia gesserit anima corpus inhabitans, tales habebit testes in iudicio. *Ibid.*, sent. 337.

Vide etiam tit. *Adventus*, per totum, *Antichristus*, per totum. *Dies*, sent. 30, 31, 32; *Judicii corruptio*, sent. 20; *Multitudo*, sent. 14; *Patientia Dei*, sent. 45, 46; *Relinqueret*, sent. 58.

JUDICIUM PROPRIUM.

SENTENTIAE PATRUM.

1. Tolle te, tolle inquam te a te, impedis te: s. AUGUST. si tu te edificas, ruinam aedificas. *De verb. Dom.*, serm. 15.

2. Lepra proprii consilii, eo perniciosior est, quo magis occulta: et quanto plus abundat, tanto sibi quisque sapientior esse videtur. Serm. 3, *Pascha.*

3. Proprium consilium sequentes, sunt unitatis divisores, inimici pacis, charitatis expertes, vanitate tumentes, placentes sibi, et magni in oculis suis. *Ibid.*

4. Quae major superbia, quam ut unus homo toti congregationi iudicium suum praeferat, tanquam ipse solus habeat spiritum Dei? *Ibid.*

5. In rebus dubiis plus alieno, quam proprio credendum est iudicio. Epist. 82, *ad Abbat. S. Joan.*

6. Inter omnes tentationes, videtur ista periculosior cuique Christiano, scilicet proprio sensui nimis innili. *De sex alis Seraphim*, cap. 7.

7. Pessima animae lepra est, immansio proprii sensus. *De profectu spirit.*, art. 7.

8. Quidquid iudicii est tibi, quidquid proprio discretioni, quidquid prudentiae, quidquid intel-

SIXTUS PHILOSOPHUS.

S. HIERON.

ligentia, id omne tibi a demonibus est. Doctrina 5.

9. Superbarum, insensatarumque mentium est, suo tantum uti consilio. In *Reg. monachar.*, cap. 7.

HUGO CARD.

10. Hostis noster est proprius sensus, ad quem debellandum mittit nobis Dominus contradictores. Super *Ecclesiasten.*, cap. 9.

11. Nihil est per quod magis infestat Religiosos diabolus, quam per proprium sensum. Super *Isai.*, cap. 36.

JOAN. CASS.

12. Nullo alio vitio tam praecipitem diabolus monachum pertrahit, ac perducit ad mortem, quam cum neglectis consiliis seniorum, cum in suo iudicio persuaserit, doctrinaque confidere. Collat. 2, *Abbat. Moysi*, cap. 41.

13. Perniciem aeternam impossibile est evadere quamquam, iudicio proprio confidentem, nisi humilitatis verae amator et executor effectus sit. Collat. 46, *Abbat. Joseph.*

14. Impossibile est quemquam, qui proprio fidit iudicio, diaboli illusioni non decipi. *Ibid.*

15. Nullus sibi quemquam scientia praeditus inani timore persuadeat, quod possit alterius consilio non egere. *Prosec.*

16. Nam etiamsi iudicium ejus diabolica non fallat illusio, elationis tamen ac superbiae graviores laqueos non evadet. *Ibid.*, cap. 42.

S. LAURENTI JUSTIN.

17. Maximum impedimentum est ad perfectionem ascendere cupientibus proprio incumbere sensui. *De perfect. grad.*, cap. 10.

LEODVICUS BLOSIVS.

18. Non sis obstinatus in proprio sensu, sed aliorum sensuum tuo sensui ad honorem Dei sapienter praeferas. In *brevi regula Tyronis*, verbo *Non sis.*

S. THEODOR.

19. Nimis est improbum, relicta spiritus doctrina, propriis opinionibus adhaerere. Quast. 25, super *Gen.*

20. Luctus occupabit eos, qui proprio consilio obediunt. Sect. 4, super *Ezech.*, in illud: *Qui sequantur spiritum.*

JUDICIUM SUI.

SENTENTIAE PATRUM.

S. ANTHON.

1. Unusquisque sibi ipsum animum suum severum iudicem sui habet. Lib. 7, epist. 44, *ad Constantium.*

2. Nemo eget iudicio sui, qui verbo Dei abundat. Lib. 2, super *Luc.*, cap. 3, in illud: *Factum est verbum Dominum.*

S. AUGUST.

3. Inducet se homo voluntate dum potest, et mores convertat in melius, ne cum jam non poterit, etiam praeter voluntatem a Domino iudicetur. Homil. 50, *ex Quinquaginta Homil.*

4. Qui a seipso iudicatus est, non iudicatur a Domino. *Ibid.*, cap. 4.

5. Sapiens est qui seipsum hic dicit iudicari, ut aeternum Dei iudicium evadat. In suis *Sent.*, verbo *Est.*

6. Cum iudicaveris teipsum sine adulatione, iudica proximum cum dilectione. Lib. 4, *Pharetra*, cap. 45.

7. Esto justus iudex in teipso: tribus animae quod dignum est, reserva carni quod opus est: quia nunquam alterius causam iudicare poterit, qui inter animam et carnem suam iustitiam tenere noluerit. Homil. 19.

8. Salus principium est suiipsius condemnationis. Hab. apud D. Joan. Damasc., lib. 2 *Parall.*, cap. 86.

9. In se quisque severitatem debet exercere, ut a seipso iudicatus non iudicetur a Domino. Homil. 6.

10. Ecce habes homo, quae in te iudices, habes quae condemnes, quae in te mortifices. *Prosec.*

11. Ista iudica et non iudicaberis, ista condemna et non condemnaberis, ista mortifica et non morieris.

12. Hic esto vehementissimus carnifex, ista recte consideranda iudicia, abijcendum mortifica.

13. Si peccata tua recte consideraveris, iudicasti: si abjeceris, occidisti.

14. Ut ergo defendas te, accusa te: ut absolves te, iudica te. Serm. *de Verbis Michae.*

15. Sic fit, ut dum aliena djudicanda mens ducitur proprii iudicii lumine privetur. Lib. 3 *Moral.*, cap. 18.

16. Homo occulta super se iudicia quae pressus torpore dissimulat, errore saltem pulsatus expavescat. *Ibid.*, lib. 25, cap. 7.

17. Humilitas seipsam, arrogantia vero alios iudicat. Lib. 3, *de Claustro animae*, cap. 6.

18. Oportet unumquemque semetipsum iudicare tantummodo, et circumspicere, cartaeque custodire in omnibus, non aliorum conversationem vitamque discutere. Lib. 5, *de Canob. inst.*, cap. 30.

19. Si cupiditate iudicandi, iudex esse velis, temetipsum iudica. Homil. 48, super *Matth. Oper. perf.*

20. Noli alium iudicare, sed teipsum. *Ibid.*, homil. 65.

21. Ille vere bonus et justus et sapiens est, qui sibiipsi iudex fieri potest. Homil. 45, super *Matth. Oper. imperf.*

22. Qui seipsum condemnat, et peccatorem se agnoscit, dupliciter Deum placat. Homil. 28, super 1 *Cor.*

23. Vis iudicare? quae tua sunt iudicia. Nullus

S. BERNARD.

S. BONAV.

S. CESARIUS ARELAT.

S. DIDYM. ALEX.

S. ELIGIUS.

S. FULGENT.

S. GREGOR. MAGNUS.

HUGO A S. VICTORE.

JOAN. CASS.

S. JOHANNES CHRYSOST.

te culpa, si te condemnaveris : culpaberis autem, si non te redarguas : culpaberis, si non dolueris. Homil. 21, super *Epist. ad Hebr.*

24. Vix iudex esse? judica temetipsum et tua delicta, nullus est qui velet. Homil. 42, super *Gen.*

S. JUSTIN. MART. 25. Omnis qui se considerat et judicat, nulli culpe affinis est. *Epist. ad Zenam.*

LACT. FIRM. 26. Nemo potest de se recte judicare. Lib. 3, de *Divin. Inst.*, cap. 4.

S. PETR. DAM. 27. Qui semetipsum perfecte dijudicat, iudicium non expectat. *Prose.*

28. Perfecite semetipsum dijudicare, est reprehendenda non agere : et que irreprehensibiliter acta sunt, timide retractare. Lib. 4, epist. 15, ad *quemdam episcop.*

29. Iustus quisque semetipsum, dum sancte vivit, accusat : et se dijudicando vel accusando, magis magisque sanctificat. *Ibid.*

30. Tunc victorum omnium barbariem sternimus, tunc potestates aereas invicissime debellamus, si et innocenter vivimus, et tamen reos nos, ac peccatis tanquam obnoxios accusamus. *Ibid.*

S. PROSPER. 31. Amat Deus eos, qui semetipsum iudicant, non judicare. El Apud div. Augustin.

SALVIANUS. 32. Liberandus a Deo ipso omnino non eris, nisi te ipse damnaveris. Lib. 5, de *Gubern. Dei.*

THOMAS A KEMPIS. 33. Seipsum iudicando homo semper fructuose laborat. Lib. 4, de *Imitatione Christi*, cap. 14.

IN VITIS PATR. 34. Sui reprehensor, mercedis est conservator. Lib. 3, num. 428.

35. Principium salutis est, si teipsum redarguas. Lib. 5 libell. 45, de *humilit.*, num. 15.

36. Virtus Monachi est, in omni tempore seipsum arguere. In *Sentent. in fine positus*, sent. 62.

SENTENTIE PAGANORUM.

CATO POET. 37. Cumque reus tibi sis, ipsum te iudice damna. Lib. 3 *Distichor.*, metr. 38.

38. Cum quid peccaris, castiga te ipse subinde : Vulnera dum sanas, dolor est medicina doloris. *Ibid.*, lib. 4, metr. 80.

CICERO. 39. Nemo fore est, qui sui periculi iudex, non sibi se equiorem quam reo prebeat. Orat. 42, pro *Rege Dejotaro.*

SENECA. 40. Sua satius est mala, quam aliena tractare : se excutere et videre, quam alios dijudicare. Epist. 118.

41. Quod de alienis tractas, ex tuis iudices. De *Moriens.*

JUDICIUM TEMERARIUM.

S. ANTONIN. *Definitio.* Iudicium temerarium est, cum aliquis opus proximi de quo non habet sufficientia iudicia ad cognoscendum utrum bonum vel

malum sit, in mente sua firmiter affirmat seu determinat illud esse malum. Part. 2, tit. 3, cap. 8, § 1.

Pravum iudicium est ex errore proveniens temeraria sententia, vel suspicio malo de occultis aliorum. Part. 1, *Centilopui*, sect. 10.

Iudicium temerarium est de re, que non constat, sed procedit ex sola suspitione. Super *Luc.*, cap. vi.

Iudicium temerarium est, quando creditur aliquid factum mala intentione, quod potuit et alia fieri intentione, cum actio sit indifferens. Lib. 1, de *Profect. religios.*, cap. 1.

Iudicium temerarium est, quando quibus commissum non est iudicant, sive sit de manifestis sive de occultis Super *Math.*, cap. vii, super illud : *Nolite iudicare, etc.*

Temerarium iudicium est, quo multi iudicant de aliis solis rumoribus nescientes causas, et circumstantias peccati, vel facti. Super *Ecclesiastic.*, cap. 11.

Temerarium est, si tutum delictum dissimulas, et iudicas alienum. Epist. 45, ad *Anonym.*

Divisio. Triplex est iudicium temerarium. Primum de proximo suo, secundum de Domino Deo, tertium de seipso. Part. 2, tit. 3, cap. 8.

Iudicium temerarium triplex est : definitionis, argutionis, assertionis. Definitionis, cum quis de futuris male iudicat, argutionis, cum quis iudicat de his, que ad eum non pertinent ; assertionis, cum quis iudicat de occultis. Part. 1, *Centilog.*, sect. 10.

Iudicium temerarium triplex est, definitionis, argutionis, assertionis. Definitionis est, quando de incertis, quasi de certis quis firmat sententiam ; argutionis est, quando quis iudicat de alio arguendo quod malus sit, cum ad eum non pertinet ; assertionis est, quando aliquis ut appareat bonus, iudicat alios esse malos in eo, in quo ipse malus est. Super *Math.*, cap. vii.

Origo. Temerarium iudicium ex curiositate et superbia procedit. Part. 2, tit. 3, cap. 8.

SENTENTIE PATRUM.

1. Saepe in iudicando majus peccatum iudicis est, quam peccati ipsius, de quo fuerit iudicatum. Lib. 2, *Apolog. David.*, cap. 2.

2. Grave est de alio temere iudicare. *Prose.*

3. Cum unusquisque sit suorum conscientis peccatorum, quomodo potest de alterius iudicare peccato?

4. Iudicet de alterius errore, qui non habet quod in seipso condemnet.

5. Iudicet ille, qui non agat eadem, que in alio putaverit punienda, ne cum de alio iudicat, in se

ferat sententiam. Super *Psal.* cxviii, serm. 20, vers. 4.

6. Iudicia hominum saepe falluntur, ut et in iustis iustitiam gratiam frequenter adseribant, et iustum aut odio persequantur, aut mendacio decolorent. Lib. 1, super *Lucam*, cap. 1, in illud : *Erant ambo Iusti.*

7. Nullus de onere suo sollicitus est, sed proximorum nostrorum peccata curioso et temerario iudicio lustramus. *Prose.*

8. Ad collum usque cœno oblitus sumus, nec quidquam pensi habemus : ad senectutem usque aliena curamus, neque in ipso senio mala propria expendimus : minuta fratrum nostrorum errata intuemur, ut trabem, que est in oculo nostro, non videmus.

9. Pondere criminum nostrorum deprimimur, et tamen curiose in aliorum defectibus, delictis que indogandis temere iudicando occupamur. Orat. *De non iudicando.*

10. Pene nullus reperitur immunis huius vitii : sed clericus, Religiosus, laicus, rector, et subditus ab eo involvitur. Part. 2, tit. 3, cap. 8.

11. Iniquum est ut quisque de alio iudicare velit, et iudicari de se nolit. Epist. 174, ad *Pascen-tium.*

12. Infirmas et imperitias, utilia solet iudicare que nociva sunt. In *Quast. Veteris et Novi Testamenti*, quaest. 127.

13. Nolite iudicare. Hoc loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi ut ea facta, que dubium est quo animo fiant, in meliorem partem inter pretemur. *Prose.*

14. Sunt quedam facta media, que ignoramus quo animo fiant, quia et bono et malo fieri possunt, de quibus temerarium est iudicare, maxime ut condemnemus. De *Serm. Dom. in monte*, lib. 2.

15. Duo sunt, in quibus temerarium iudicium cavere debemus : cum incertum est quo animo quidque factum fuerit, vel cum incertum sit qualis futurus sit, qui nunc vel bonus vel malus appareat. *Ibid.*

16. Temerarium iudicium plerumque nihil nocet ei, de quo temere iudicatur : et autem qui temere iudicat, ipsa temeritas necesse est ut noceat. *Ibid.*

17. De incognitis non temere iudicando, innocentiam custodimus. De *unit. Eccles.*, cap. 2.

18. Multa incertum est quo animo fiant, de quibus iudicare, temerarium est. *Ibid.*

19. Maxime hi temere iudicant de incertis, et facile reprehendunt, qui magis amant vituperare et damnare, quam emendare atque corrigere, Tom. II.

quod vitium vel superbia est, vel invidentia. *Ibid.*

20. Insuper est naturaliter vulgo, ut de bonis semper male iudicet. De *Bono disciplina*, cap. 8.

21. Ad mortem properat, qui cito de quoquam iudicat. In suis *Proverbiis*, verbo *Ad.*

22. Temerarie iudex non iudices proximum, magis autem excusa : excusa intentionem, si opus non potes : puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Serm. 40, super *Cant.*

23. Non te exales super quemquam, neque iudices, cuius mentem ignoras, ne sub omnibus cadas. *Prose.*

24. Non te ipsum iudices, ut te præferas aliis : qui te ipsum non agnoscis, alios multo minus debes iudicare.

25. Si alium quemque pessimis operibus videas insudantem, ne te illi præferas, ne illum iudices, quia nescis utrum exemplo latronis ad ultimum convertatur.

26. Nullum ergo tu iudicare presumas, nec te (licet optimum) cuiquam alteri, (quamvis pessimo) præferas, quia tuus et illius qualis futurus sit exitus, ignoras. Lib. de *Passione Dom.*, cap. 29.

27. De alienus correctione desperare, et eum tanquam abjectum reprehendere, qui nunc apparet malus, cum nesciamus qualis futurus sit, temerarium iudicium est. In *Centilog.*, part. 1, sect. 10.

28. Cavere debet quisque ne iudicet temere aliorum facta, maxime ubi nescit qua de causa, vel intentione fiant. Lib. 1, de *profectu Relig.*, cap. 1.

29. Saepe iudicamus malum esse, quod in se non est malum, et peccamus per temeritatem usurpando nobis iudicia Dei de occultis cordium. *Ibid.*

30. Vitium est, cordis intentionem iudicare, que soli Deo est manifesta. *Ibid.*

31. Neminem dijudica in malum, nisi temetipsum : proprium enim tuorum malorum tibi conscientis es, et proximorum occulta bona videre non potes. De *perfect. charit.*, art. 47.

32. Dissuece a suspitionibus, et noli temerariis iniri iudiciis. *Ibid.*

33. Grave peccatum est proximum iudicare ; quid hoc gravius esse potest? nihil enim ideo execratur Deus, odit, et abominatur. *Prose.*

34. Nihil adeo provocat Deum, nihil adeo hominem spoliat, et fert in ambiguum, ut iudicare proximum. *Doctrina* 6.

35. Nihil temere definiamus, que nobis dubia sunt, Deo definienda reservemus. Super *Tobiam*, cap. 3.

V. BEDA.

S. BERNARD.

S. DONAY.

DIONYSIUS CARTHUS.

S. DOROTH.

GLOSS. 177.